



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Lib. III. De rerum humiliorum appetentia, in qua certissimum
perseuerantiæ præsidium est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

LIBER TERTIVS.

De rerum humiliorum appetentia.

CAPVT I.

De cruce & rebus humilioribus appetendis.

Vandoquidem in explanandis propriæ vocationis partibus ijs, quibus maximè vita continetur, vnam esse diximus contentionis & crucis appetentiam; hoc ipsum verò; variè consequi, efficere, & obseruare in diuersis institutis possumus: necessariò videtur dicendum, quæ sit eiusce rei vis, quamque in Societate Iesu commendata. Hoc autem ab ipso Societatis auctore, vt à sapientissimo rei à se conditæ æstimatore depromere, siue res ab eo præclare gestas, siue doctrinam expendendo, possumus. Et quoniam ex hac vna maximè, perseverantiam pendere credo, latius excutram, & stabilien-dæ humilitati diutius immorabor.

Sed quid attinet, tantam beatissimi viri, tam obstinato animo cœptam, perpetuatamque rerum omnium humanarum contemtionem, vilissimarum electionem, carcerum & derisionum appetitionem, suisque ad infima deiectionem, repetita narratione pertexere? Iam ecce omnibus claruerunt, tibi que vel maximè, pleniusque alia in scriptione tractantur. Duo tamen, illo in genere sunt hic obseruanda.

Primum est, B. Ignatium, ipso statim vitæ melioris exorsu, ad omne deiectionis & contemtionis genus exarsisse, & æstantis animi desideria rebus ipsis statim expleisse, ita tamen vt & inchoando feruens, & perseverando constantissimus fuerit. Videre fuit illum, nitore elegantis, aulici splendoris, & humani honoris nimis olim cupidum, mutatis mox animis in contraria omnia auidè inhiantem. Hinc tanta vestium omnium, quæ sæculum redoleret spoliatio, paupertatis & mendicationis perpetua & solemnis exercitatio, omnium penitus facultatum abdicatio, linguæ politioris, morumque ciuilium, ac nobilioris generis dissimulatio, contemtionis tantus amor, vt medicabuli instar, in pædore, in sordibus, inter mendicos, & eos nonnumquam pueros, quasi abiecti vir ingenij, palam degere: ac insuper duram istam neglectamque vitam, ieiunijs protensis, grauissimis afflictationibus corporis, capitis pedumque nuditate, immodicis vigilijs, orationibus contentis admodum, longiusque productis, adeò asperaret, vt lutida facie, languenti corpore, id oris & habitus homo, oculis vulgi non nisi

con-

contentissimam speciem obiiceret. At hominibus penitiùs ad virtutem introspectentibus; at Angelis, & Sanctis, ipsique talium animorum largitori Deo, quàm gratum & eximium perfectionis erat spectaculum! O vrinam inchoatione perlimili, ad similem consummationem tenderemus! Eiusmodi cœptis opus est, sic properato, vel sui vel rerum cæterarum contentu, perfectior ab initio vitæ texenda est. Initia, initia: hîc omnino initia valent plurimùm, propè dixerim Valent omnia. Frustra sperantur aliquando recidenda, quæ vnà cum primigenio spiritus vel feruore vel tepore, radices agunt humani fauoris retinacula: faciliùs à contentu ad amorem relabimur, quàm ab amore ad contentum assurgimus. Multos vidimus Nouitiorum, qui mundum & quæ mundi sunt fortiter sapienterque spreuerunt; at mox animo fracti, vel famæ, vel honoris, vel cognationis amore languerunt. paucos qui mundi horrorem in initijs non vigentem, tempore sensim compararint: quippe sursum ferri, quàm deorsum labi difficilius. Magnis ergo animis eximia quadam nostri & honoratiorum rerum omnium contentione, sunt nobis vitæ nostræ Religiosæ consecranda primordia.

Nec verò ita cœpit tantùm, sed eadē etiam opprobriorum, duriorumq; rerū desideria semper auxit: scribiturque eam vt maximam à Deo gratiam & postulasse & impetrasse, multa vt aduersa pateretur: obseruatumque non rarò fuisse, suos, cum Ignatio absente quietissimè viuerent, ad eius aduentum graui & improuisa tempestate agitari solitos. ad eò, tranquillæ vitæ, vitam malis exercitam præferbat. Et verò qui potuisset aliter fieri? nouimne est, vt voluptatum, cupiditatumque suarum exsaturandarum libidine perciti, illis explendis quiduis excogitent, earumque fruitione beatos, quàm falsò, tam improuidè se putent? atqui hoc erat affectu in rerum omnium asperiorū genus Ignatius, vt illas ardentius exoptaret, illis alacriter iret obuiam, & quo densius occurrerent, eo incundiùs tamquam sponsas & blandiores amicalas passis vlnis lætus exciperet. tanta verò in illis perferendis; perferendis quid dico? perfruendis potius (animum hominis si attendas) dicendum fuerat, sed nostro languidorum more loquendum fuit: tanta igitur in illis perferendis voluptate & læticia perfundebar, vt existimaret, & verò constanter asseueraret, nullam à rebus vllis creatis læticiam tantam in anima procreari posse, quæ gaudium illud Spiritus sancti, & purissimam illam alacritatem æquaret, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa magnâque pro eius amore pertulerunt. Hinc etiam vincula & persecutiones, quas innoxie, sancti zeli, sed ignoti, causa pertulerat, tanti æstimabat, vt aperte diceret, si in parte vna statera quæ creata sunt omnia statuerentur; in altera verò carcer, catenæ, probra quæ passus esset; vix futurum vt illa præ his momentum aliquod habitura essent. O animum rebus omnibus humanis excellentiorem, iamque totum æternitati, cæloque & Deo assertum! quàm est terrenorum omnium despiciens, quàm ad calus omnes erectus, quàm certa eum

Ribad. l. 5.
vita c. 10.

& inconcussa pace perfrui necesse est! En præclarum, & ad imitationem propositum domesticum exemplar. Sunt & plurima plurium Sanctorum, de quibus postea; propria nunc confector, & vnum hic ad cæterorum originem sufficit.

Alterum de B. Ignatio in rem nostram observandum, fuit vis quædam animi ad opprobria, contumelias, dira & dura omnia ex ardentissima Dei hominū: que caritate sic incitati, vt ille idem eius ardor foras erumpens, sacri eiusdē ignis illapsu, vicina quæque depasceret. Cumque in Beati viri verbis, præceptionibus, orandi & agendi formulis, vbique se idem ardor efferret, primos eiusmodi sibi finxit socios, quorum in cordibus quàm penitissimè Ignatiani spiritus hic character, hæc esset germana nota inculpta, *Crucis fames, opprobriorum sitis*. vt videre esset homines à spirituali eius schola prodeuntes, spreto protinus mundo, mutarōque animi sensu, si sub spinis & angotibus in ignominia viuerent, delicias credere; res autem secundas & honorem, spinarum & ignominia loco ducere.

Et verò, quàm id ipsum, à prima, sancti Spiritus ad perfectiora euocantis, vitali aura hausserit, partim rebus gestis, quas obiter perstrinximus, partim ex eo quòd in eandem alios formam duceret, comprobauit. Postremum ex ijs (qui omnino decem erant) socijs Hozium sibi iunxerat B. Ignatius, suisque spiritus exercitationibus instruxerat: & illico eosdem illi adspirauit affectus, ad multa patienda & perferenda exastuantes. ferro manici que constrictus, in carcerem aliquando detrusus est: quid huic homini facitis, o lictores? vincula, monilia, carcerem, palatium putat: pœnam non infertis, lætitiā exaggeratis. quid enim? totam, quanta fuit, noctem tanto gaudio exegit, vt ne quidem à risu sibi temperare possët: plures ibidem dies agere auebat, at nequiuit; postridieque iussu Præsidentis liberatus, tristis exijt è carcere, quem lætior ingressus fuerat: egregio sanè posteris documento relicto, breui tempore, in schola spiritus posse longiùs profici, beatumque discipulo Ignatium, sed magis discipulum Ignatio. Quid Fabrum, Xauerium, Borgiam, quid tot alios memorem, qui magna sibi in hac perfectione nomina pepererunt, omnesque exeiusdem spiritus quasi vtero prodierunt? Vtinam, carissime mi frater, ad hos aliquando seriò constanterque respectemus: & eiusdem disciplina, cuius nos alumnos esse gloriamur, spiritus genuinos, hoc est verè humiles, hominumque, honorum, commodorum contemptulque sitientes, gerere discamus. Quam in rem vt certius accingamur, est hîc nobis sancti nostri Patris super hac re doctrina, paulò plenius audienda. Adspira, B. Pater, vt tuos valeam sensus exponere, expositosque imis animi mei medullis inculpere, doctrinamque mente haustam rebus ipsis, vitæque non indécoro tenore confirmare.

CAPVT II.

Quid eadem de re docuerit B. Ignatius.

HOc proprium amoris esse solet, maximè quando ardentior in partem vnam incubuerit, vt suos impetus premere, de quæ re amata silere non possit: erumpit, inardescit, in laudes amata rei facundus effunditur, nusquam in elocutione felicior, in accurata perquisitione subtilior. Multa quidem ad Religiosæ vitæ perfectionem conducentia, præclare admodum explanata nobis tradidit B. Ignatius, nullam tamen aliam rem singularem, dilucidius & gratius quàm hanc, quàm orationem, & obedientiam, nobis ab eo commendatam esse credo: id quæ ex illo amore profluxit, qui tantus in eius animo, ad perferenda in honorem Dei plurima vigeat: cumque nihil eo melius in rebus humanis cerneret, id quod credebat, quod Deo docente optimum didicerat, filiorum suorum cordibus commendatum præ cæteris insculptum quæ cupiebat.

Sic enim interrogatus aliquando à suorum nonnemine Sacerdote, Quamnam foret ad perfectionem compendiosissima via? protinus quod animo gerebat, ad quod suos contendere volebat, expressit: Hæc est, inquit, Si multa aduersa magna quæ pro Christi amore patiare. pete hanc gratiam à Deo: cui Dominus hoc donat, multum donat: vnòque hoc beneficio, multa & magna eius continentur beneficia. Ita Ignatius: cuius è verbis, quantam nostram aduersa declinantium, ignauiam aut cæcitatem animaduertimus, qui perfectionis compendia, Dei & Domini nostri summa beneficia, vano pauore delusi, vel natiua mollitudine fracti, recusamus! Sed horum nondum locus est, doctrinam prius persequamur.

Vult omnino vt quicumque Societati ab ipso instituta nomina dare cupiunt, ad hunc perfectionis gradum adspirent, ad eum quæ vt pertingant varijs interrogatis, experimentis, monitis iuuentur; orationes, exercitia varia, exercitatio in rebus humilibus, abiectis, & sensui contrarijs, reprehensiones & monita, vigilantia & artes multiplices per Superiores adhibeantur. Et quoniam vidit hanc tam absolutam rerum omnium humanarum aspernationem, nisi eius à primis inijs iacta sint in molliore solo semina, non eam esse, quæ durato cortici, infitionis genere molliore, inoculari queat: voluit vt Societatis Superiores animum aduerterent, quod prima tironum noualia ista illico semine complerentur, quam deinceps fouerent, excolerent, fecunda quæ tandem fruge coronarent. Atque vtinam, fratres mei dilectissimi (vobis enim potissimè hæc nostra scriptiuncula loquitur) vtinam, dum etiamnum in

Reli-

Religione tenelli estis, in hanc partem illud omne quidquid vobis inest viuidi ac vegeti inflectatis, vt quidquid mundi huius est, quidquid opinionis, laudis, reprehensionis alienæ, quidquid vestri sensus, contemnatis; cruce, aduersaria impugnatione, improbatione gestorum, humilitate, omnisq; generis contemtu gaudeatis, vosque ipsos aliqua saltem ista, gestandæ atque participandæ Domini nostri Iesu Christi crucis conformatione beatos putetis. His animis, hac sanctæ inchoationis firmitate prouecti, si adolescitis, & in sancto vitæ proposito quasi indurescitis, prona erunt ad omnem perfectionem omnia, reliquoque decurrendæ vitæ stadio, iucundissimæ tranquillitatis pace perfruemini. Sed ad B. Ignatij doctrinam, vnde me vester abduxit amor, reuertendum est.

In con-
templ. regni
Iesu Chri-
sti.

Vult igitur vt quicumque in Societatem Iesu cooptari desiderant, eo sint animo, vt mente & proposito, integrè sæculo renunciant, Dei que seruitio se omnino mancipare in Religione statuerint. adeò nihil probat imperfectum, aut sæculum & libertatem respectans. enimvero ingentibus animis opus est, vt ad arduum Euangelicorum consiliorum verticem, nitendo possis ascendere: si remisso, & ad montis adspæctum anhelante spiritu accedis, numquam profectò superato iugo ad perfectionis excelsa pertinges. Quare cum de vita in melius emutanda præcepta tradit: Hoc vnusquisque, inquit, persuasum habeat, tantum se in spiritualibus studiis promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprii affectione sese abstraxerit. Cum autem ad meditando Christi Domini nostri vitam aggreditur, ecce tibi statim, vtut scopum, quod meditationis dirigantur affectus, præfigit his verbis; Iudicandum erit, quidam qui se obsequijs Iesu Christi duxerint mancipandos, non seipos tantum ad laborum tolerantiam, verum etiam ad maiora & præclariora quedam munera oblaturi sunt, expugnata carnis, sensuum, amorisq; proprii & mundani rebellionem. Vnde respondebit vnusquisque, — Me tibi penitus offero, mea que omnia tua, ô Rex supreme, ac Domine vniuersorum, subijcio voluntati, — hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum attestans, vt quàm possim proximè te sequar & imiter in ferendis iniurijs, & aduersis omnibus, cum vera tum spiritus, tum etiam rerum paupertate. Vbi nolim otiosè prætercurras, quod post laborum ad imitationem Domini nostri maximorum tolerantiam commendatam, maiora quedam & præclariora deposcit, ea que in sui ipsius & honoris amore deponendo, in iniurijs & contumelijs adeundis reponit, omni labore maius hoc & excelsius iudicans.

In meditatione verò de vexillis, Christum Dominum adducit hortantem ad sectandam paupertatem, deinde ad opprobrii contemntusque desiderium: hominem verò ipsum & eandem exspoliationis rerum omnium gratiam postulantem, & cupientem per abiectionem seu ignominiam, Christum Dominum imitari vicinè. De gradibus humilitatis in suum locum differo. Et quidem hinc habemus quid in commune omnibus, licet tamen præcipuè suis, vir beatus commendauerit. Videamus ea que propriè.

Exigit

Exigit igitur vt omni cognationis, & facultatum ac rerum amore posito, totum suum amorem, vniuersamque spem in Creatorem omnium transferant, exerceanturque ijs experimentis, ac officijs humilibus & abiectis, quibus, vt loquitur, magis se demittant & humiliant, ac eo veluti argumento demonstrant, se prorsus ab hoc seculo, eiusque p̄p̄is ac vanitate recedere: vt omnino suo Creatori ac Domino pro ipsorum salute crucifixi seruiant. Mirum est, quàm in huius rei commendatione frequentanda sit creber: insperatæ huiusmodi ratiocinationibus propè singulæ sunt Beati Patris pagellæ. infinitum foret sigillatim minutiora consuetari, vnum locum se ligam quem præterire est nefas, & ingentem animi sancti ardorem indicat. Diligenter, inquit, animaduertant oportet, (magnificiando, summiq; momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quanto opere iuuat ac conferat, ad vitæ spiritualis profectum, omnino, & non ex parte, abhorere ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur, & admittere, & concupiscere totis viribus, quidquid Christus D.N. amauit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi sunt sequuntur, diligunt & querunt magna cum diligentia, honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, & seruid Christum D.N. sequuntur, amant, & ardent exoptant quæ ijs omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reuerentia, ad eò vt, si sine offensione vlla diuina maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi & existimari, (nulla tamen ad id per eos data occasione) eò quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus & insignibus indui, quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritalem induit, nobisque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia adspirante, eum imitari & sequi, cum vera sit via quæ ducit homines ad vitam, velimus.

Igitur interrogentur, ij scilicet qui ad Societatem accedunt, quosque iam eiusdem spiritus odore imbutos optat, an eiusmodi desideria tam salutaria, & ad perfectionem animarum suarum tam fructuosa in se sentiant.

Quod si quis propter humanam nostram debilitatem & miseriam, in se, huiusmodi tam inflammata in Domino desideria, non sentiret, interrogetur, an certe desiderium in se sentiat, huiusmodi desideria sentiendi. Si affirmando responderit, optare se nimirum, huiusmodi tam sancta desideria animo concipere: quo melius ad eorum effectum perueniatur, interrogetur, an decreuerit, paratusque sit huiusmodi iniurias, illusiones & opprobria, in Christi insignibus inclusa, & alia quæuis quæ ei inferrentur, siue per quemuis ex domo, vel Societate, (in qua obedire, & humiliari, ac eternam beatitudinem consequi exoptat) siue extraneam, per quemuis viuentium, nulli malum pro malo, sed bonum pro malo reddendo, admittere, & patienter cum Dei gratia ferre.

Vt melius ad hunc perfectionis gradum, in spiritali vita tam pretiosum perueniatur, eius maius ac impensius studium sit, querere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.

En quanto rationum & verborum pondere detonans sanctum hunc animi sensum commendat. Diligenter animaduerti, magni fieri, summi momenti, idque in conspectu Dei existimari, magno opere conferre ad vitæ spiritualis profectum, salutaria, fructuosa esse hæc desideria, pretiosum perfectionis gradum, assermat sapiens virtutis æstimator Ignatius. Hunc verò gradum, istiusmodi limite, definit, an expandit: vt omnino, & non ex parte, abhorreas ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur. Hoc verò quantum est: quàm multa, seu corpori & commodis, seu cognationi & amicis, seu honori & famæ nostræ, seu voluntati & iudicio proprio, seu illi quæ à natura nobis insita est propensioni blandiuntur, ad quæ nostro impetu toti ferremur: & ab his, planè omnibus, non ex parte, sed prorsus, omnino, non tantùm vt abstineamus, sed vt abhorreamus exoptat. ò animum ab omni rerum procreatorum amore segregatum! At quàm affert huius suæ desiderationis causam? cui nemo sapiens abnuat, Sapientiam nempe Dei Patris: quid enim iustius, quàm, si mundo, vano, mendaci, fallaci quæ, in perniciem suam homines mundani tantopere credunt, vt honores, famam, magni nominis existimationem, omni arte & labore quærant: ita qui procedunt in spiritu, qui serò Christum Dominum sequuntur, Creatori quæ ac Domino suo, qui via, veritas & vita est, assimilari, ac eum imitari exoptant, ad maiorem profectum suum, & ex eiusdem Domini exemplo, ament ac ardentè exoptent, quæ mundi suasionibus omnino contraria sunt: Sed quæ sunt illa? eruatne ignominia, contumelia, falsa in nos testimonia, stultitiæ & imperitiæ de nobis opinio concepta, iniuriæ, calumniæ, crimina conficta, inimicitia & odia, sic vt peripsa & anathema omnibus esse videamur: Dura ista sunt nomina, & vel auditione inferentia timorem: quare prudenter ab eis abstinere, & lenius ea compellare possumus. Quæ ergo mundo contraria, tanta quæ auiditate quærenda sunt: hæc ait amabilissimi, sapientissimi, potentissimi Domini nostri Iesu Christi vestes esse & insignia, quas ipse Creator noster, nullo suo, magno nostro bono, nemine nisi nostri amore cogente induit, ad maiorem profectum nostrum spiritualem, vt quæ nos præeuntis exemplo allecti, eum, adspirante diuina gratia, quàm proximè sequi niteremur. Hoc verò si defæcato mentis oculo purius intuemur, sancto quæ illo Domini nostri amore feruimus, continuo dura ista quæ dicebamus nomina mollescunt, & quædam in illis latens honestatis, amabilitatis, dignitatis forma se prodit, quæ mutata specie mitificè hominem honestat, eumque Dei veste indutum, diuinum nescio quid mente præferre, virtutis excellentissimo in gradu collocatum, pace multa, animique tranquillitate foras emicante splendere facit. ac denique iustissima Dei lege fit, vt omnibus ad spectabilis, quem vult sui contemptum haud assequatur, quem non vult honorem, ab omnibus cæcè sibi haberi luceat. adeo nullus verus, nisi ex verè despecto honore, venit honor.

Ita quidem est, ò B. Pater Ignati: si hæc intima mente bibissemas, si spiritu viuentes

uentes mundum odiffemus, planè, tui, & fimilium tui inftar, quidquid fpiritum fouet amaremus, quidquid mundi eft deffeetaremus, horreremus. at quoruf- quisque tanta eft animi celfitate, tam certa propofiti firmitate, vt numquam vlla in te blandiri fibi, iucunda omnia feuei è femper alpernari, refutare, à fe dimo- uere contendat: ò caelestem in terris hominem! effinxifti, tuo fæculo, diuina gra- tia, plures eiuſmodi: & effingis etiamnum: à quibus quoniam ego me quàm ma- ximè difficiliter agnofco, da faltem, fanctè Pater, vt eos amando fufpicere non definam, & in infimo faltem quem poluifti gradu confidens, à te non prorfus au- uellat. Infirmus tibi, magna omnia exigenti, & ſublatus euolanti erat, mihi verò vix terram ipſam perreptanti, non exiguum videtur eminere, & pro magno ha- buero, fi vel in illo dignè conſiliterè, omnesque eius numeros perfecte valeam explere.

Hunc verò gradum infimum, à quo neminem difcedere vult, ita conſtituit, vt qui in illo grefſum figit, optet tantæ iſtius, quantam diximus, perfectionis, deſi- deria fanctæ mente concipere: prætereaque animùm gerat comparatum, ad in- iurias, illuſiones, opprobria, Chriſti inſignibus incluſa, & perferenda alia quæ- uis, quæ domi foritue à quocumque illi inferrentur, nemini que malum, ſed po- tiùs bonum pro malo reddendo, ea omnia æquo animo admittat, & cum Dei gratia patienter ferat. Hæc ſi perpendimus attentius, fratres mei, quis animi ſen- ſus nobiſeſſe debet? in ijs omnibus qui Societati Ieſu inſcribuntur, tantam in perferendo fortitudinem, in eos qui mala inferunt æquanimiſatem & benefi- centiam poſtulat. quàm igitur procul iniuriarum memoriam, zelum, contenti- onem, laudis appetentiam, & quidquid caritatis nitorem infulcat, exulare vo- luit? quàm voluit, ſincero omnes animo, perfectionis amore concitante, id à Superioribus quàm maximè experere, vt quibuſcumque mortificationibus, ex- ercitationibus plurimis, duris & ſeueris imperijs, ſummum illud, quod in ſui- ipſius & omnium rerum contemtionem & Chriſti Domini imitatione ſitum eſt, perfectionis culmen acquirant. O fratres mei, ſi hæc deſideriorum noſtrorum eſſet ſumma, quantus eſſet omnis obedientiæ fructus, quanta ſinceritas, quàm nullus ſuſpicioni, nullus animorum alienationi locus, quàm nulla iuſſio dura videretur, quàm arcto amoris amplexu omnia, velur ad perfectionem condu- centia foueremus! Credite mihi, nihil eſt quod tot imperfectionibus, tamque faſtidioſa vitam Religioſam amaritie inficiat, quàm ſi imperia Præſidii ex ali- quo ſiniſteriore in ſe animo profecta, ſibi Religioſus ipſe perſuadeat. Potentiſſima hæc eſt, mali dæmonis, & improbiſſima machina: hoc venenum aure credula qui bibit, mirum, & ſolius Dei dexteræ, ſi vniquam perſanari queat. Fu- giamus ergo, & quanto longius poſſumus, hoc virus tam deteſtabile fugiamus. Et quomodo fugiemus cautiùs, quàm ſi meminerimus, & ad id veniſſe nos vt dura ſectemur, & Superioribus ex officio id incumbere, vt ſuſum deorſum que ſuos verſando eos volentes, nolentes, ad ſanctiora & perfectiora promoueant?

Ad perfectionis, ac ut ita dicam promotionis scholam venisti frater, quid queris si ad altiora & perfectiora tuus te promouet Magister, si languentem instigat, tardantem incitat, cessantem stimulat: ne tuo muneri desis, quod sui muneris est præstat.

Quòd si vos etiam, tenellorum horum germinum formatores, meis aude-rem verbis compellare: obtestarer sanè, ut in id vel maximè incumberetis, ut qui vestræ curæ commissi sunt Nouitij, exiustimationis suæ curam ponant, viles haberi optent, falsis de se delationibus, iniurijs, contumelijs, nihil de tranquillitate mentis amittant, cedant omnibus, nulli præferri velint, numquam de Superioris animo ex iussione diiudicent, cupiant quouis modo regi, & ad victoriam de suis cupiditatibus referendam iuuari. Hæc illis si non instillatis, nec eis, nec vobis, nec Societati consulitis. Incommoda possem enarrare, vos ipsi sapientius peruidetis. Uiget quæ ad hoc ipsum, grauissima B. Ignatij vox: *Nostrum autem erit, inquit, in eisdem, maiore scilicet sui abnegatione, & continua in rebus omnibus mortificatione, iuxta gratiam, quam Dominus nobis conferre, ad suam maiorem laudem & gloriam dignabitur, eum iuuare.* Ita ergo decernit, vestrum est eos iulare, id quæ iuxta gratiam à Deo datam, hoc est leridò, constanter, perseueranter, non eos sibi relinquere, & otiosa pace contentos cessare, sed yrgendo, instando, & rationes aptas prudenter admouendo, perfectionis Religiosæ imaginem perfectius effingere. Ecce huiusce rei rationem seuerè aliquando, diuino in iudicio, reposcet Ignatius: quid responsuri sitis, videre. Verùm, præfidentior sum, & ut aiunt, sus Mineruam; ignoscite ad fratres meos redeo, quorum amori & perfectioni commendandæ, hæc mihi digressio irrepsit.

Quid illis igitur, quid eis omnibus qui nondum tanto crucis amplexandæ amore feruent, commendat Ignatius? verbis quidem pauca, at rebus & sensu quàm plurima: nempe; ut eò perueniatur, *maius ac impensius studium sit, querere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus quo ad poterit mortificationem.* Quæ verba, & suo æstimanda pondere, & prudenti moderatione seruanda sunt. Cùm enim B. Pater de illis ageret, quibus nondum Christi Domini crux, illa quæ in speciem horrida militiæ vexilla dulcescerent, ad hoc tamen perfectionis prouehi optarent; hanc illis demonstrat viam, ut magno animo, manu operi admota, ignatiæque torpore discusso, abnegationem sui, mortificationemque complectantur: probè sciens exercitatione leniti molestiam, diuinæque consolationis dulcedine optabilem reddi solere. Hoc verò ut copiosius detur, naturæque mollities amplius duretur, magnam abnegationem sui, & continuam in rebus omnibus mortificationem exigit; id quæ magno & impensio studio fiat. Quæ sic obseruanda sunt, Primò, ut nemo, se abnegandi, aut mortificandi, vllam legitimam occasionem animaduersam, timide suberfugiat. Secundo, ut perpetuum, & nulla contraria voluntate interruptum, se abnegandi & mortificandi propositum habeat, & in id diligenter incumbat, ad

imi-

imitationem eorum quæ antea, dum de propria voluntate ageremus, ex Dorotheo sunt relata: id enim verè est esse continuum. Tertio, vt etiam occasionem ita se mortificandi & abnegandi, propenso & incitato studio quærat, non tamen anxie, aut continuato quodam sollicitæ mentis angore, sed, vt dixi, præsentis & sibi inuigilantis animi solerti firmitate, qua & ad naturam vincendam opportunitates acutè præfagiat, & quæritas aut oblatas fortiter arripiat. In hoc verò nisu constanter pergenti, eas B. Patre sic spondente progressionem video esse sperandas, quibus in eum gradum, vt ipse loquitur, in spirituali vita tam pretiosum breui possit euadere.

CAPVT III.

De duobus primis humilitatis modis à B. Patre positis.

AD eandem eadem de re B. Ignatij doctrinam pertinent, omninoq; recenseri hoc loco debent, tres illi, quos posuit humilitatis modos, tam plana, liquida, absolutaque methodo, tantaque se celeritate in excelsissima sustolente, vt mihi meritò videar eius admirandæ finem nullum facere posse. Multa multa copiosè, variè, subtiliter & piè de humilitatis gradibus tradidere: at, nisi huius me Beati viri fallit amor (& quantum videre datur haud fallit) aemo est qui breuius, distinctius, accuratius eos expresserit. Dicerem, præ his ieiuna, confusa, incondita videri multa, quæ tamen non immeritò prædicantur: sed ea laudis exaggeratio displicet, quæ ab alterius imminutione captatur. Magis consulo, maximi facias omnia, nunc autem temporis contende, vt quid B. Ignatius doceat intelligas, & intellecta se ceteris.

Humilitatem ergo eam & describit, & eiusmodi operatione, vel animi affectione definit, qua satis indicat eam spectare se, quæ fita est in voluntate Deo se subiiciendi, diuinæque voluntati, ac Deo ipsi se conformandi.

Iam, ab illo primus humilitatis modus hic ponitur *ad salutem necessarius, vt inuenitur subdã diuina legi obseruanda, vtq; ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vite discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato mandatum vllum diuinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.* Ita ille, prudenter & necessariò statuens, nullam in eo homine humilitatis esse posse speciem, qui aliquod præceptum diuinum, grauitè vrgens violare audeat. Cùm enim omnis inobedientia, sit eius quæ Superioui exhibenda erat, subiectionis denegatio, quid aliud dici potest, quàm superbiæ rebellantis impudens ostentatio? & verò, quid humilitatis illi homini superesse credendum est, qui Superioui, qui Deo, quam debet voluntatis subiugationem,

cum flagitio denegat? Est igitur hic primus gradus, cuius homini ab aeterna salute nolenti excedere per necessarius: in eoque sic obfirmandus animus, ut omni alteri amori diuinus amor emineat, huic vni, ceteri concedant omnes: si amiei, si facultates, si honor aut existimatio, si denique vita ipsa in eo discrimine versetur, ut sit vel eorum, vel huius humilitatis iactura faciendae; pereant omnia, ne pereat amor Dei. felix est temporaria iactura, quam aeternitatis compendia pensabunt. Vides tamen, hic & edomitas cupiditates, & non vulgarem fortitudinem opus esse, ut quouis aduersae tempestatis impulsu, firmus in hoc gradu & inconcussus insistas: omninoque, qui ad alios gradus adscensum parat, maiore quoque fuerit virtutum instructu armandus.

Secundus enim gradus maioris est perfectionis, ut fixo animo ad diuitias, paupertatem; honorem, ignominiam; breuitatem vite, ac longitudinem aequè sit propensus, vbi aequalis est diuina laudis, & salutis mea occasio. Vtq; nulla, vel humana quantumq; felicitatis, vel propriae mortis conditione proposita, adducar vniquam ut culpam, licet venialem tantum, decernam admittere. Illis cum modum verbis B. Pater describit, non tantum maioris perfectionis quam primum, sed etiam (seposita comparatione) permagna quantum existimo perfectionis, quam videtur bicipitem facere: vna ut eius pars sit, affectuum & cupiditatum in res quasuis ad eò esse retinentem, ut nullam in rem, iucundam aut iniucundam, blandientem aut horrificam, diuitias aut paupertatem, honorem aut ignominiam, breuitatem vite aut longitudinem, prioribus animis feramur. Quod ipsum quantae arduitas est? multum à se praestitum non nemo crederet, si vbi maior diuinae laudis cerneretur occasio, ibi facultatum, honoris aut vite iacturam fortiter posset, quamuis cum dolore, tolerare: & quotus quisque tanto praeditus mentis robore reperitur? quis de se id sibi spondeat, cum ad eò multos nec illaudatae vite viros, declinandae calamitatis metu, abs eo quod rectius iudicant, non raro desistere videamus: & quoties, heu lugendum! concitato minima cuiuscumque cupidinis impulsu, in transuersum ab eis abducimur quae meliora seiebamus: vbi ergo vir ille, nobis reperietur, qui affectum, qui propensiones, & procliuitates omnes exuit? qui verè, qui toto sincerissimae mentis candore, sit eiusmodi, ut honore & infamia, vita & morte ob oculos vtrunque ita posita, ut neutra in parte diuinae laudi officiat, neutra etiam diuinam laudem magis promouere credatur, anceps hareat, nec ignominiae honorem, nec morti vitam praeferat? o virum cupiditatibus omnibus verè mortuum!

Cur istud? inquit: etenim vbi aequalis vtrunque Dei laus agitur, quid imperfectionis erit si morti vitam, honorem infamiae praeferam? quid verò perfectionis si nequaquam praetulerò? Omnino, in hoc postremo, perfectionis erit plurimum; in priore verò, si non imperfectionis erit plurimum, plurimum tamen perfectionis de erit. Numquid non magnum, valdeque suspiciendum est, eiusmodi esse mentis aequabilitate praeditum, adeoque cupiditatum omnium incitatio-

nes

nes edomitas habere, vt appetendi fugiendique nullus, nisi è laudis diuinæ respectu, mortis exciteretur: indeque fiat, vt si vitæ mortisq; sortem, par diuina laus excipiat, nihil videatur esse, cur altera alteri præferatur: honorum stimulus congenitus, voluptatum delicia: illices, vitæ ardentissimus ille à natura insitus amor, ciendæ appetentiæ vim omnem perdididerint! quod profectò non est aliud, quàm nihil amplius suum in terris, totoque in orbe agnoscere, & animum à periculis ad æterna, ab humanis ad diuina subduxisse: tamque subduxisse perfectè, vt quiduis aliud de artuleris, nullo tamen nisi æternorum diuinorumque sensu tangatur. Eiusmodi se credat qui volet; nobis tamen, mi frater, incipientibus, video superesse abundè quod & maleum admiremur, & suspiremus diu. Quid enim cum ad iudicandum veneris, respondebo tibi Domine Deus meus, qui tanta me per seruum tuum Ignatium ad perfectionem contuendam luce perfudisti; & ecce non tantum eam in partem vbi non est maior, sed etiam vbi minor est tua gloria, non ratò meorum me affectuum impotentia propellit, instigat, ac pertrahit? heu quàm procul meliorum cognitionem, à meliorum exercitatione abesse video! hoc nobis corruptela sensuum, hoc naturæ ingenta deprauatio parturit: neque sanè corrigemus, nisi nostrum erga res hæc infimas amorem funditus exhauserimus, nihilque in re vlla procreata nisi solius Dei causa expectamus. Hoc verò, bone Deus! quale quantumque est? in suis commodis, sua laude, voluptate, sanitate, vita nihil sentire quod delectet aut attrahat? in incommodis, vitæ perio, dolore, ægritudine, vel morte nihil quod animum excruciet, aut à se abhorre faciat? solo verò diuinæ laudis momento, hæc omnia verè dignèque librare, annon hoc est animi, nullis nisi diuinis motibus instigari, nullaque nisi diuina sentientis? Nonne iure possèm tecum, sancte Bernarde dicere, nescio si à quoquam hominum hic gradus in hac vitæ perfectè apprehenditur, vt se scilicet homo diligat tantum propter Deum. Afferant hoc, si qui experti sunt: mihi, fateor, in hac vitæ impossibile videretur illum perfectè apprehendere.

*l. de dilig.
Deo, & ep.
11.*

Cautè tamen hinc animos contrahas, addi potius continet: nec enim nos eum gradum consequi, sed perfectè consequi posse negat: sunt quippe in virtutibus, vel virtutum certo aliquo gradu, quædam eiusmodi vt se semper altiùs prouehant, & quantumcumque comparaueris, semper tamen superfit quod comparas. quod vbi accidit, comperies in rerdum ab auctoribus optimis asserti, virtutum earum perfectionem non posse comparari; licet magnos in ea progressus posse fieri sentiant. Aliàs tamen ipsos illos in perfectione progressus, perfectionis nomine decorare nihil verebuntur. Vnde D. Hieronymus venustè & breuiter, *Cunctorum in carne iustorum, inquit, imperfecta perfectio est. Quod D. Bonauentura dilucidius, licet planius, Nemo, ait, in hac vitæ perfectè alicuius virtutis apicem valet comprehendere, vel stabiliter in summo gradu semper manere, sed pro modo vitæ perfectus quis dicitur respectu inferiorum. Quapropter omnem huius vitæ perfectionem nomine Auroræ, quæ lucis tenebrarumque confinio miscetur, significari putat*

*l. 1. cont. Pelag.
c. 5.
de pref. Rel.
proc. 6 c. 7.*

Magnus

l. 39. Mer. c. 2. Magnus ille Gregorius, iucundè his verbis & piè ludens: Quid itaque in hac vita omnes qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus? quia & quaedam iam quæ lucis sunt agimus, & tamen in quibusdam, adhuc tenebrarum reliquijs non caremus: per Prophetam quippe Deo dicitur; Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Rursumque scriptum est, In multis offendimus omnes. Paulus quoque ait, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Vbi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profectò adhuc aurora est: quia lux quæ iam emicuit, necdum prætereuntes funditus tenebras præsit. Adhuc aurora est, quia dum lex carnis, legem mentis, & lex mentis, legem carnis percutit, inter se vicissim lux & umbra confligit. vnde rursum Paulus cum diceret, Nox præcessit; nequaquam subdidit, Dies venit; sed, Dies autem appropinquauit: qui enim post discessum noctis, iam non venisse, sed appropinquasse diem insinuat, esse se proculdubio, ante solem, post tenebras, adhuc in aurora demonstrat. Tunc autem plene sancta electorum Ecclesia dies erit, cum ei admixta peccati umbra iam non erit. Tunc plene dies erit, quando nullam malorum suorum tentantem memoriam tolerans, omnes à se tenebrarum etiam reliquias absconderit. In hunc diem si aliquando venire, si dies, si sol, vel etiam sole fulgidior, in cælesti regno esse desideras, noctem ne ames, aurora nunc has, virtutumque inchoatione, quasi diluculo collustrante, ab ipsis tui stadij carceribus, exulta ut gigas ad currendam viam tuam, viam Religiosam, viam, vitæ Domini nostri Iesu Christi humilitatis Magistri, quatenus homini datur, conformem, omnique huiusce spectabilis orbis cupiditate ac desideratione exutam.

Sed hæc de secundi gradus prima parte dicta sufficiant, ex qua tamen ad alteram vel iam factus, vel facilis admodum est transitus. Est autem illa, ut nunquam leuius vllum peccatum, quod veniale nuncupant, ex animi certo proposito committamus: quod profectò quantum sit, iudicabunt illi, qui scrutandis humanæ fragilitatis lapsionibus diligentius incumbant. quàm proclive est, ut lentitudo, vel præcipitatio, parcitas vel nimietas, copia vel inopia, loquacitas vel taciturnitas, animi depressio vel elatio, plurimæque ab eo quod medium & rectum est declinationes nos altrouersus inflectant: quis ille est, qui non aliquando sciens & volens, sensuum delectatione ducatur, in laude aut vituperatione metas veritatis excedat, aut alicunde id agat, cuius mox poenitentia tangatur: quis ille est, qui nõ aliquando & suæ & ceterorū oblectationi, familiaritati, beneuolentiæ, precibus, minis, terrori, non odio vel amori, aliquid paulò amplius quàm par esset concedat? Qui tamen perfectè hunc humilitatis gradum inlisteret, ab his omnibus immunis degeret. Verù, ut diximus, progrediendù est, cūq; aliquid eius acquireris, magisq; ac magis ab omni mali specie te submoueris, nõ est interrumpenda contentio, vigilandù, instandù, graues etiam de minoribus voluntarijsq; delictis poenæ sunt reposcendæ, donec ad id perueneris, ut ab ista gradus firmitate, neque illecebris, neque vllò impetu grauiore dimoueri queas.

Verum

Verùm antequàm longiùs abeam, video hìc queri posse, cur non B. Ignatius in duos potiùs humilitatis modos, quàm in vnum bipertitum, hunc secundum modum disperserit? De quo, vt quod sentio edicam, nihil quidem incommodi in istiusmodi distinctione video: aptè quippe dilucideque diceretur: Hominem ita diuinæ maiestati subditum esse, Primò, vt ne præcepta, quæ animæ morte sanciantur, vlla vniquam cupiditate, inductione, terrore audeat transgredi. Secundò, vt pari fortitudine illa obseruet, quæ solius leuioris noxæ reatu inficiunt. Tertio, nihil amet, nihil oderit, nisi diuinæ laudis promotuæ incitatu. Atque ita duos illos primos modos, satis vt existimo enuclearè comprehendisset. Sed ni fallor, Beatus ille vir, cui minùs notiones distinctionesque, quàm cõsecutio virtutum cordi erat, aliud aliquid spectauit, viditque hanc secundi gradus partem alteram, sine priore comparari, & diutiùs perdurare non posse: quare maluit in eiusdem gradus complexu ea contineri, quorum vis, tam sibi inter se coniugata, in idem conspiraret. Quis enim vocet in dubium, hominem eum qui nihil vpiam nisi Dei causa amandum fugiendumue sentiat, qui tantopere sit sensuum motuumque omnium continens, vt nusquam nisi Deo impellente moueatur, eundem nulla vniquam causa noxiam vllam quancumque leuissimam admissurum: enimvero si solus Deus eum amor allicit, cum à quouis delicto quàm longissimè dissideat Deus, quid est quod eum in eiusmodi fraudem queat inducere. At verò si honoris, commodorum, sui ipsius amore, si ignominia, paupertatis, in eodem modo, aut cuiuscumque casus horrore percellitur, quàm proclive est vt vel istorum consequendorum, vel horum fugiendorum gratia, à præscripto rationis exorbitet, leuioriquè saltem macula nitorem animi infuscet? Hæc igitur sit iustissima, & in rem nostram utilis causa, cur vno complexu hæc vtrique connexa sint. Ad Tertium & nobilissimum gradum transeamus.

C A P V T IV.

De tertio, eoque perfectissimo humilitatis modo.

Tertius, inquit, est modus humilitatis absolutissima, vt priores duos iam adeptus, etiam si, nullo superaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Christi, eligam potiùs cum eo paupere spretu & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientia titulum amplecti quàm opes, honores & sapientia estimationem. Hunc gradum absolutissimæ vocat humilitatis, quid enim illi superaddi possit, non faciliè quisquam reperiet. Hic omnis gloriæ, splendoris, existimationis & famæ, quæ tamen elationi ac superbix fomitem ministrare solent, ponitur appetitus; contra verò res illæ amantur, quæ humilitatem quàm maximè conciliant & decent, paupertas,

N

con-

At 5
Colof. 1.
2. Cor. 12.

contemptus & insipientiæ nomen, ut eiusmodi mentis affectu præditus, reprehensionibus gaudeat, obiurgationibus hilarescat, contradictionibus animeretur, paupertate ditescat, calumnijs & opprobrijs gloriatur. Quippe idem in eum effusus est spiritus, eadem sanctitudinis illi data consummatio quæ illis qui docebant, *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis. Nec docebant tantum, sed re ipsa ibant à conspectu concilij gaudentes quoniam digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati.* Eorumque unus exclamabat, *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.* Quæ noua istæ voluptas, quæ tam insolens gloriatio, quod inauditum gaudium, ut à contumelia, ab angustijs, à persecutionibus hauriantur: fieri ne potest, ut tanta quantarebus istis videretur insidere, amarities edulceretur: edulcatur planè, felleumque istud virus in melleas delicias abit. usque ad eò & res insulsissimas condire, & animi gustatum immutare potens est Deus. Sed quomodo ista peragantur dicitur suo loco, nunc ad huius gradus explicationem pergamus.

In quo sunt quædam quæ accuratiorem scrutatorem remorari videntur: nec enim satis apparet, in Dei laude æquali, cur abiectiora sint præferenda; aut si ex virtute præferuntur, cur non maior Dei laus necessariò sequatur, cum virtus omnis ad laudem Dei conferat? Præterea si id numquam re ipsa potest accidere, omne enim quod perfectius est, ad maiore Dei laudem confert, eumne qui mores ad virtutem instrueret, decuit ad ea spectanda confugere, quæ sola fictione mentis, & non rei veritate constant? Hæc ut opinor obijci possunt: à postremo incipiam.

Quod tamen utrique commune sit, animadvertendum duobus modis aliquam actionem ad maiorem Dei laudem esse; Primò, quia in se ipsa plus perfectionis continet, ideoque copiosius de diuina bonitate participat, & perfectius in Deum refertur, eius commonstrare perfectionem potest: hoc tamè totum, in ipsa rerum insita vi, occultum latet. Secundò, ad maiorem Dei laudem dicuntur, quæ vim eam sortita sunt, ut excitandis ad diuinam laudem mentibus accommodatiora sint, veluti sermocinationes, concionesue sacræ, magis in Dei laudem, quam priuatæ precès, conferre dicuntur. Iam verò cum B. Pater Ignacius minùs externa, quam interna spectaret, dicendus est id etiam voluisse, ut quantumuis & diuinæ gloriæ propagandæ, & perfectionis æquale momentum fuisset, vilior tamen & abiectior, quam splendidiore vitæ conditione perfici mallet. Quo sensu magis etiam implicatur hic nodus, at mox Deo dante euoluemus.

Præterea, non tantum ex tam dissitis vitæ generibus, copioso, glorioso, facili uno; egeno, inglorio, aspero altero, æqualem nonnumquam Dei laudem conciliari posse, sed etiam re ipsa conciliari prorsus credo. Quid enim? an non facile dabis Pontificum, Episcoporum, Regum & Principum plurimos, post vitam, honori-

nori-

norificè quidem & commodè, sed multa virtute traductam, multis Religiosorum, vel etiam huius sæculi pauperum, in caelestis gloriæ felicitate præcellere? Iam, si præcellere possunt, quis neget etiam æquare posse? Faciamus ergo, quod in tanta beatorum multitudine procliue est, æquare nonnullos, vel, quod in rem nostram perinde est, æquare posse; ecce sic reperimus homines duos, quorum æqualis æterna gloria, ex quibus æqualis Dei laus exster, eorum tamen vnus obscurus, pauper, neglectus; alter celebris, abundans, honoratus vixerit. Video, remurmuras: æqualitas illa diuinæ laudis, aliunde, ex virtutibus inæquales vitas æquantibus, exoritur: & isti duo, duo diuersi sunt; de vno & eodem hic agitur. Audio, bone vir, audio: sed sustine paulisper, nec tam quid sis obiecturus, quàm quid dicatur attende: non explicantur controuersa, nisi altius, ab eis quæ sunt certa, reperantur.

Si igitur homines duos reperimus, in quibus tota vitæ decursio, licet vni planissima, alteri contingat asperissima, vtrique tamen in diuinæ gloriæ æquale cedit incrementum; quid est cur negemus, vnum eundemque hominem, ad eundem, æternæ felicitatis modum siue leniore, siue duriore vitæ instituto posse pertingere? mihi verò non minùs id videtur facile factu, quàm si vel plures, vel vnus & idem, eundem sibi censum, mercatu, armis, literis comparent: quippe nihil est incommodi, si diuersa diuersis in rebus industria, eadem mercede, præmio & æstimatione pensetur. Nec refert, quòd inæqualis industria aut virtus, inæqualis laboris vitas, æquali præmij laudisque termino claudat: non enim à nobis quæritur, vnde hæc exoritur æquatio, sed satis nobis est ostendisse posse fieri, vt ex vita contumelios, paupertate, aduersis rebus asperissima, nec plus diuinæ laudis, nec plus æternæ gloriæ, quàm ex honorata, diuite, rebusque secundis blandiente comparetur. Cùm autem istud non tantùm diuersis, sed vni etiam homini, licet agrè, possit tamen obtingere; quid verat vnumquemque sic esse animo affectum, vel (vt sic pie afficiatur) seria cogitatione sibi persuadere, magni, verèque Christum Dominum imitantis animi fore, si asperiora & contemtiora, nullo ad rem aliam, quàm Domini sui imitationem, respectu habito, ardentè concupiscat? Et hoc est quod primò & maximè spectauit eo loco B. Pater, agens de vitæ statu eligendo, ijsque quæ ad electionem conducunt.

At quoniam non vnam instituti eligendi notitiam, sed in eo quod cognitum fuisset perfectionè spectabat, ita loquitur vt clarè doceat illud idem quod tota in vita potest, vitæ quoque; singulis in partibus esse seruandū: ita vt raram quandam caelestis pulcritudinis formam, quæ nõ corporis, at animi solius cernatur oculis, affingamus rebus ijs omnibus, quæ probri, ignominie, penurie, doloris quiddam habent: huius verò formæ venustate vsq; eò mens nostra ebrietur, vt ad quæuis, qui fortè splenduerit, eius radiū illicò tota cõuertatur, & in optatissimos pauperatis & humilitatis amplexus ruat: suspiret absentè, præsete potiatur, deleatur,

glorietur: sic eam amet, ut in ea non aliud quam ipsam amet; in paupertate, in humilitate, non mercedem, non coronas, non perennatam ambiat pramiam, sed sola se paupertate, sola Christi humilitate beatum putet. Non aliud illi appingi vult pigmentum, non colorem, non gratiam; quam hanc, Christum Dominum imitandi, vnicam. Quidquid deliciarum sensus appetant, quidquid molliculum carni blandiatur, quidquid fastosum superbia exambiat, istorum vult omnium leuem videri iacturam, si vna Christi Domini imitatione pensetur. Et sane cum ipse summus omnium creator & redemptor hominum Iesus Christus, speciosus pater filijs hominum, emanatio claritatis omnipotentis Dei, candor lucis aeterna, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, cuius in femore inscriptum Rex regum & Dominus dominantium, qui via, veritas est & vita, ad quam quo propius accesseris, eo rectius inaccesseris, verius permanferis, immortalius vixeris; qui est Sapiencia Dei, cuius patrocinio, neque cuiusquam alio, aeterna nobis est speranda salus: Cum inquam sapientissimus ille Dominus, non aliam quam humilitatis & contemtionis viam, vel verbo docuerit, vel exemplo sanxerit, vilissimis, abiectissimis, dirissimis quibusque sibi selectis, adeo ut sputis illitus, flagris concisus, probris onustus, profectus contumelias, ignominiae crucis addictus, inque ipsa cruce fixus, extremum vitae spiritum, non sine inimicorum derisu, summo cum dolore posuerit: contra vero, pompam omnem temporariam, gloriam quae ab hominibus esse poterat, diuitias, voluptates, comoda, laudem omnem & famam, humanis comparatam artibus, summo semper opere sit aspernatus: quid sapientius facere potest congenite sibi insipientiae conscius homo, quam ut illa totus abhorreat, a quibus penitus abhoruisse videt Deum: ad illa vero anhelis animae desiderijs aetuet, quae summa Dei Sapiencia tam certo, tam largè & perseveranter, ceteris omnibus praetulit, tamque acce sibi assumpta deuinxit, ut neque sine illis Iesus, nec nisi per illa reperiri possit, ac toti hominum generi haec esse salutis & gloriae perennia instrumenta decreuerit: Ecce etiam ut caliginosae nubes inmissis sole clarescant, & repenti pluuia destillantes, subiectos agros fecundant: sic horrentes & hispidae illae cruces, contumeliae, deiectiones, ex quo Dominum nostrum Iesum Christum, omnis amabilitatis, gloriae, claritatis & bonitatis fontem circumamplexae quasi confoerunt, ex illo praenobili contactu, amabilem quandam, & sancte illecebroram pulcritudinis dignitatem contraxerunt, quae cum diuinum aliquid redoleat, & quandam Iesu Christi similitudinis effigiem inculpat, mirabiles amoris ardores in eorum animis excitat, quos ardens Dominum suum affectandi, & ad eum propius imitatione accedendi desiderium inflammat: continuo etiam fortitudinis, pietatis, caritatis, & praestantissimarum virtutum in multiplici choro mentem ornat.

Et vero si vulgo, nec plane immerito, praestantium virorum, & principum esse quam simillimos, praecelaram, & in expectendis reponitur: vsque eo ut etiam
vestium,

vestium, colorumque & rerum quæ illis in pretio sunt, maior existimatio, & frequentior sit vsus: quid mirum si vel hoc solo nomine, res ceteroquin insuaues & iniucundæ, sola supremi omnium Regis assimilatione, magnopere amabiles, lætabiles, & expetendæ, fidei & fortibus eiusdem Regis affectis fiant? Atque hoc deum est quod hæc voluit B. P. Ignatius, vt quando expetendorum ea lex esse solet, vt quoties varijs nominibus experi merito possunt, vno quoque illorum, sepositis interim ceteris, absque iniuria vel reprehensionis nota possint experi: non dissimiliter hæc possis, omni maioris diuinæ gloriæ, meriti & felicitatis æternæ cogitatione missa, eo solo crucem, ignominiam, dolores amplecti, quod amantissimo Domino tuo crucifixo, despretò, & crudelissimè distorto humilior sis futurus. Qui hanc, in re nostræ naturæ tam aduersa, assimilationis pulcritudinem non videt, re vera, Domine Iesu, nec tuum splendorem videt, nec tuæ sapientiæ quidquam sapit. Tu verò Domine, qui nobis ea vilia induisti, ea amara exorbuisti, ea quoque nos fortitudine indue, eo animi gustatu nos dona, vt amanter, vt alacriter, vt desideranter, tuo vnus amore, ad humilitatem, ignominiam contemptumque curramus.

Sed, vt video, dum ad postremam obiectionem respondimus, alteri etiam factum est satis, qua querebatur, quomodo non esset semper ad maiorem Dei laudem id quod magis eligendum esset: etenim sit necne ad maiorem Dei laudem, non queritur, sed alletitur is perfectæ humilitatis amor, qui abiectiona præfert, quoties illa in detrimentum diuinæ laudis cedere non constat, eoque solo ad ea potius optanda permouetur, quod putet in rebus ipsidem in quibus Domini nostri Iesu Christi in nos amor maximè enituit, suum quoque vel maximè amorem esse testandum, imitationemque in patiendo esse querendam.

Habemus interim fieri posse vt diuinæ laudis, nostræque in æternum gloriæ paria esse in æternum momenta possint, è paupertate & diuitijs, ex aduersis & prosperis. Inde que qui non omnino hebes fuerit, facile mente complectetur, id ipsam ad eò in lingulis negotijs fieri posse, imò (quoniam perfectius est asperiora complecti) procliuus etiam sit credere, eadem quoque ad maiorem Dei laudem, atque ad eò magis esse expetenda; quod si vltro præter opinionem res nostræ durius obtigerint, non contrahendum & quasi corrugandum, sed magis ad læticiam explicandum animum, & vt ab amante Deo, amicum, & quale olim prædilecto filio donauit, munus exosculandū. Faciamus igitur (exemplo enim allato res erit clarior) concionatoris muneri addictum esse nonneminem: ex huius perfectionis norma, si duorum illi optio diuinitus daretur, vt vel stein dicendo moderaretur omnia, vt ingenti gratulatione, nec mediocri plausu auditori placeret, vel pari quidem fructu, at auersis ac alienatis animis diceret: quæ deberet esse perfectiora cupientis optatio? proculdubio hæc, vt mallet pari in fructu, parique Dei laude contemni. Quo fit, vt ea, quam diximus, optio non oblata, si vltro contentus ille contingat, vel multò leuior ferendo, vel sponte

etiam conquirendus fuisse videatur, profusque ab omni pruriginoso voluptatum vel ambitionis appetitu, quam longissimè recedatur.

Licet autem quæ dicta sunt, & satis esse manifesta, & satis firma videantur, cumulatè tamen, & quæstionis meliùs elucidanda gratia, demus, re ipsa non posse maiorem Dei laudem, maiusue nostrum meritum ab humilitate & aspernatione nostri maiore separari: an idcirco non debuerunt hæc ita distinctè separare que menti obijci? imò verò, & sic debuerunt, & ex more perfectiorum factum est, & fuisse minus, quodcumque aliter dictum esset. Ardentis amoris ut est, sui impotes in amando facere, ita non vult exiliter ad virium aut naturæ angustias arctari, exilit, efferuet, supergreditur vniuersa, metas nescit, nihil arduum, nihil putat impossibile. Quid enim? an Moïsis, de libro vitæ deleri petentis, vel Pauli, pro fratribus anathema fieri cupientis, caritas id loquebatur, quod eâ causâ, & re ipsa futurum esset: *Caritatis priuationem supplicio gehennæ acerbiorē censet* (interprete Theodoro) D. Paulus: ergo supplicium gehennæ subibit quisquam, quia certus est & ijs quæ videntur, & quæ non videntur, amorem præferre Seruatoris, quia statuit propter eum quasuis excipere procellas, iucundis omnibus ipsaque vita potiùs quam caritate priuari? Quid ergo ita locutus est? nempe loquebatur amor, amoris sua est elocutio, suus sensus: *Cum ergo omnia examinasset, & inter se contulisset, ait Theodoretus, & amori omnia cedere, tam quæ sunt molesta quam quæ iucunda inuenisset, caritatis verò priuationem, supplicio ipso gehennæ esse acerbiorē: ostendisset etiam quod si fieri posset, mallet cum diuina dilectione supplicium, cuius mine intentantur, quam absque ea regnum quod est promissum: Ebrius desiderio, ea querit quæ non constant. Præferuidos igitur habet impetus amor, in quos si quando erumpit, amare, & amoris indices voces gestit emittere, nec aliò quam ad amorem respectare vacat, suo se succo pascit, suis inflammat ardoribus. Non secùs igitur voluisse B. Ignatium credo, ut qui ad hunc humilitatis gradum pertigisset, sic vilia & contempta diligeret, ut non aliunde quæsitis argumentis, sed sola illa abs Christi D. N. imitatione hausta, illisque nunc ingenua pulcritudine moueretur: in hanc vnam ita rapetur, ac si sola (nullo salutis, virtutis, meritorum, gloriaue additamento) vel esset, vel esse posset: missas istas alias cupiditates faceret, hæc vna ceterorum bonorum omnium instar haberet.*

Et verò ut ne cuiquam nouum id esse videatur, Beatique viri prouidens animaduersio notetur: eiusdem in diuerso genere cautionis exemplum accipe. Rationes cur peccata sint vitanda grauiissimas & multiplices quamuis exponat, addit tamen *perpendendam esse peccati sædritatem & nequitiam ex natura sua, si vel prohibitum non esset. at qui fieri potuit, vel saltem hodie potest, ut quod æternæ rationi & legi tantopere aduersatur, non etiam lege lata prohibeatur? Prohibitum est, cur ergo ad eiusmodi ficta confugitur? Sapientissimè sanè: etenim cum verofutissimo nostræ salutis inimico, perpetuum nobis est & exitiale bellum, illi*

verò

Rom. 9.

in orat de
carit. de a-
lio D. Pauli
loco ad
Rom. 8.

verò præter mille nocendi artes, illa etiam, non rector & blandior, quam perniciosior & letalior fraus familiaris esse solet, vt si desperat in apertum reuincum peccato coniunctarum, amorem posse pertrahere, conditionem & speciem aliquam affingat, cuius appositu paulatim eiusdē amoris laqueos quasi aliud agens implectat. Nec dissimiliter si à perfectione dimouere, ad imperfectiora deducere aperta impugnatione nō audet, aliquid virtuti, quasi ex aliqua probabili specie appinget, cuius deinde occasione, amorem omnē istius virtutis obliteret.

Sentio, mi lector, quid hīc ais; Obscura ista sunt: quidni? de obscuris enim obscuri hostis laqueis agitur, quos tanto subtilius inuestiges, cautiùs effugas, quo latentiores & tenebrosos vides. Sed ea proferamus in lucem, videamusque vt Patris nostri prudentibus monitis feliciter effringantur. Videret dæmon aliquem, vigescentis caritatis ardore succensum, odio perlequi peccatum, quia Dei lege vetitum, æternaq; à summo bono separatione puniendum: hoc stimulo mentem fauciam, ad repetendos eiusdem peccati amores adducturum se desperat: quid ergo? Euellam hunc aculeum, inquit, sed inhæret, sed infixus est, penitusque tolli nequit: dissimulabo igitur, fingamque ac si non adesset, vt ab efflato ad verum peccati amorem forsā adducam. itaque obijcit hominis animo, Ecce si peccatum non esset vetitum, si non essent æternæ illæ pœnæ, si cum his & illis voluptatibus & vitijs beatus esse posses, ita te suaviter oblectares, non esset molestè tentationibus oblectandum, nullo periculo, delectationis iucunditate fruereris. Dumq; se huiusmodi cogitationes quo lentius & lenius, eo penitus insinuant, si furtim illecta mens viscosa voluptati implicatur, iam ecce alambentis vitiosæ delectationis fulgine infuscatur, eamq; dæmon animaduertens voluptaria gustatione mollitam frangi, iritat appetitiam, sensui adblanditur, vrget, instat, iamq; nutantem & lapsantem, præcipitare palam nititur. Periculosæ omnino alex hæc est pugna, in qua, qui primæ fraudis delinitu, illitū melle venenū sorbere cœperit, vix nisi singulari Dei præsidio, incolumis mortem euadat. Huic verò fraudi omnis est præclusus aditus, si iam pro certo id sumtum fuerit, peccatum omne, quacumque specie obiectum, quacumq; impunè fuerit, semper tamen esse fugiendum: id peccato sic insitum, vt nulla vel apposita vel demta conditione tolli, mutari, minuiue possit.

Sunt & eiusmodi figmenta fuci que per plures, quos pro ingeniorum varietate comminiscitur, & variè oblectat dæmon: ridicula, elegantia, subtilia, ingeniosa, curiosa, dubia, in quibus cur dubia sint, cur esse non possint, & quomodo esse possint, querendum proponit: dumq; in his vel ex obscuritate sua euoluēdis, vel ob quendam leporem, aut ardentem nouitatē amandis, nos videt occupatos, occasione sua vititur, malumq; quod sub illis delitebat, vnico propinatū hauustu, in animi medullas insinuat. Antidoto præmuniri cupis: hīc habes, nihil amare, nullam in vilius rei partem, nisi solius maioris diuinæ laudis ratione propèdère.

Atque vt quod huic tertio humilitatis gradui proprium est edisseramus: nihil

fa-

familiaris, nihil dæmoni vsurpatius esse solet, quàm vt, si quem animaduertit, ad abiectius vitæ institutum, salutis æternæ desiderio ferri, protinus his eum trucidis, ne progredi possit, conetur inuoluere: Nūquid non liber, copiosus, honoratus, ad æterna potes euolare: si respōderis, At pulcrum est maiorem, æternumq; mansuram gloriam adipisci: habet quod regerat; Compēfabis eleēmōsynis, auctoritate, actione multa; quod humilitati deficiet, opera supplebūt. Hæc & eiusmodi argutationes nequaquam illi deerunt, vix que fuerit vt conticescat, nisi ad hoc venias, Gloriam meam ego non quæro, est qui quærat si vult Deus; Iesum meum, amorem cordis mei, Iesum solum quæro, hunc imitari, hunc propius assectari, cum illuso illudi, cum sperato sperni, cum paupere egere, cum lugente lugere volo: ò si etiam cum crucifixo crucifigi, cum emoriente emori daretur! ite gloriæ, ite merita, ite gaudia; mea mihi gloria, meritum meum, meum gaudium vnicum & summum est, meum posse propius imitari Iesum.

Fac igitur, bone Iesu, vt qui per seruum tuum Ignatium tam sanctis diuini amoris præceptis imbuti sumus, eiusdem quoque mirandæ humilitatis vestigijs, ardentissimo tui amore, magna cum alacritate mentis insitamus.

Sunt & alia mendacissimi hostis plurima figmenta, quibus perfectam humilitatem hanc nititur euertere, vel saltem illi exercendæ obicem ponere: sentient, qui suos animi motus diligentius excutient. Nolo tamen longiù excurrere; habent hîc clypeum, in quo ignita superbi hostis tela, ictu cassa restinguantur.

C A P V T V.

Eorundem humilitatis graduum in omnes homines vtilitas.

TRes potissimi sunt modi, quibus à Deo & à perfectione noster affectus exerrat, primus ille (quo salutis quoque irreparabilem iacturam facimus) quando relicto vero, æterno, immutabili bono; contra eius leges, ficto, falso, imaginario bono pertinaciter adhaerescimus, & ab eo quod rectius fuerat auersi, ad praua, animæque perniciosa affectu decipiente conuertimur. Hæc autem affectionis nostræ prauitas primo humilitatis gradu corrigitur.

Alius est affectuum nostrorum morbus, non quidem vi sua letalis, at vires excedens, coloris & pulcritudinis decorem depascens, cum à Deo quidem diuortium nullum patitur, at multa etiamnum in rebus procreatis non Dei, sed sui causa diligit, multa quoque (quia tibi molliùs ad blanditur) exhorret & declinat, dum modo subterfugere, seque possit probabili aliqua ratione subducere: at sanatur hic morbus secundo humilitatis gradu, quo nihil vllam in partem, nisi argumentis ex maiore Dei laude petitis iudicatur.

Tertius

Tertius est defectus, qui etiam hoc secundo gradu posito, latere, imisque animi fibris insidere potest, ut aspera, quia aspera, formidemus, ideoque licet ea, ubi Dei laus exigit, nequaquam subire vereamur, suspiramus tamen, & leniora, votis optamus; eosque beatos & sentimus & predicamus, quibus datum est, ut sine timore, sine dolore, Domino seruiant in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis: comedant panem in saturitate; dormiant, & non sit qui exerceat, non sit qui insidietur ascendentibus & apparentibus coram Domino: quod antiquae legis, & sub egenis elementis seruientis est proprium, eosque qui ita sentiunt admodum procliuus est, eorum quae molesta sunt horrore, vel eorum quae vellent & absunt desiderio, a vera mentis aequilibrate, & diuinae caritatis alacritate deiectos, ad impatientiae & obmurmurationum scopulos allidi. quod patris illis in deserto Iudaeis toties accidisse miramur: nec (opinor) aliunde, quam quod asperiora fugientes, nihil eorum quae expeterent, sibi deesse aequo animo patiebantur. Iam vero ne hic nos languor debilitatos opprimat, Tertius humilitatis gradus asseritur, qui efficit ut dura omnia, deliciarumque natura nostrae, vel superbae elationi repugnantia diligantur; amabilissima Dei nostri donaria, nobilissima aeterni regis insignia, certissima diuini amoris pignora, latens aeternae gloriae thesaurus, expressior Iesu Christi Domini nostri assimilatio putentur: quo fit ut qui hoc flagranti Christum imitandi desiderio aestuat, sicunde contumeliae, infamiae, dolorum, rerum acerbissimarum obijciatur occasio, non impallescat, non contrahatur, quin potius, audentior eat obuiam, lateretur aduersus, exultet impugnatus, derisionibus hominum gaudeat, verè fidos, verè amicos credat eos, quos honori suo atque commodis magis credit aduersari. Eum qui se usque adeo supra rerum omnium amorem, supraque seipsum extulerit, eritne in hac vita quidquam, quod de summa mentis tranquillitate deturbare possit?

In huius Olympi verticem, extra omnes ventorum ac tempestatum procellas, nonne tunc, S. Paule, conscenderas cum exclamabas; *Quis ergo nos* Rom. 8.
separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? — In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Annon ut tempore, sic ardore mentis, propinquior videtur sanctus ille Martyr Ignatius, qui in *epistola quadam*, vita & alij
 cum suum martyrij desiderium recensuisset, futurumque, ut ultro in feras, quibus deferretur obijciendus, irrueret, ac, si fortè dentes innocuos abstinerent, ipse violentus iritaret? Ego, inquit, *vim inferam. veniam date*, Discipuli nomen idem
 quid mihi conducat noui. Nunc incipio a Discipulus esse. Nihil eorum quae videntur, sonat veteribus quod
 aut non videntur amulor, ut Iesum Christum consequar, ignis & crux, belluarum in-
hodie Christi-
 petus, stiani namè.

petus, distractio, distractioq; osium, membrorum discessio, totius corporis commotio, & tota diaboli tormenta in me irruant, solummodo ut Iesu Christo fruatur. Ita loquebatur, ita peregit fortiter. Frementes quippe belluas ubi vidit, nihil expauescens exclamavit, *Frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar ut panis mundus inueniar.*

Apoc. 14.

Leuit. 27.

Verè hęc patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu. Hic stadium est, hęc perfectionis decursio: hęc vera sanctitatis æstimatio, & hoc scilo sanctuarij ponderabitur. Vis tui profectus, carissime mi frater, capere coniecturam? tenta quid pati possis, quàm toleres libenter iniurias, quàm hilaris contumeliam amplectaris, & cave credideris, te longiùs in virtute, quàm in horum amore progressum. Hei mihi, cùm ad hanc libellam accessero, quàm verè me humilitatis inanem comperiam! Eximiarum cuiusdam monachi virtutum deprædicatione Magnus olim lætabatur Antonius: an ita verè esset, probare voluit, comperitoque eum ad iniurias fatiscere, conturbari, animo deijei, nulladum virtute solida hominem eum exornatum esse credidit. Et fanè, patientia opus perfectum habet; in patientia possidet homo animam suam; nec fert illa bona & laudata terra fructum bonum, nisi de bono corde inpatientia. In victrice verò perfectaque patientia, quæ gaudet, & exultat aduersis, hic est tertius humilitatis gradus.

Quem quando stadium Sanctorum nuncupavi: velim ita credas esse, quasi in eo multiplices progressus fiant. sunt qui ad carceres intraturi prospectant: sunt qui certamini nomen inscriptum cuperent: sunt iam ingressi, laborantes, sudantes, gementes quasi sub iniquo falce nonnulli, animi tamen robore porro pergunt: sunt qui tardiùs, sunt qui celeriùs excurrunt: sunt qui summa mentis alacritate, & sancti Spiritus gratia alas addentè, longissimè euolant. at nemo tamen eorumque, quin semper supersit quamdiu in hæc vita degit, quod adhuc vel addendo, vel expoliendo, vel penitiùs illam Domini sui imaginem imbibendo, ac efformando contendat.

Admirabilem illum Simeonem Stylitam, in ipsis ineundæ sanctissimæ vitæ primordijs, fundamentum sibi fodere in somnis visum scribunt, tertioque vocem audijse, quasi cælitus monentis, Altiùs foderet. Cuius visi quis fuerit sensus, ad me nihil attinet scrutari: id verò omnibus quouis in instituto tranquille perfecteque viuere volentibus vtilissimum erit monitum, quodque veluti cælitus datum obseruent, ut alacriter, fortiter, perseveranter, fodiendi labore reperito, tres istos humilitatis modos instar admirabilis cuiusdam thesauri effodiant. Hinc sibi & omnium virtutum commearum impetrabunt, & arcendis hostibus propugnacula statuent, & latissimas profundissimæque aditui obstruendo fossas excavabunt, & cauendis ac frustrandis insidijs, omni que auerendo periculo disposita præsidia habebunt.

Vidit Magnus ille Antonius totum hunc nobis ad spectabilem ætatem, præmul-

ta

ta dæmonum fraude, sic laqueis oppletum & implexum esse, vt nulla effugio rima parere videretur. Vidit, indoluit, exclamauit; Et quis hominum, Domine Deus meus, tantorum subtilitatem & copiam laqueorum effugiet? Verbo responsum audiit, Humilis. Totus ex inanissimo superbiæ tumore conflatus & confarcinatus est Satan, nihilque ab eo prodire potest, quod non eiusdem inanitatis inflatu euaniðe turgeat: quapropter quidquid fraudum veneniùe propinat, id omne & semper superbiæ afflatu inficit: & quoniam naturæ corruptelâ, omne genus hominum procliuius ad eam ferrur; quodcumque atrocius venenum nobis miscuerit, illud falsa huius mellis dulcitudine illitum, vel honoris blandiente specie illudum obiectat. Ex quo fit, vt si quis verè perfecteque honorem omnem & aspernatur & execratur, quæ autem humilitatis sunt amat, amplexatur ac concupiscit, omnes protinus blanditias dæmonis auersetur, eisque numquam capi possit: quippe intimo quodam olfactu mentis, infusos Lernæi tumoris succos procul odoratur, fastidit, & cum ingenti stomacho, longè longius extrudit. Mithridatem vsque adeo epotandis salutaribus antidotis, ad venena illæsum euasisse tradunt, vt neque cum maximè vellet ab illis temerari poterit. Habes hîc verum & præsentissimum contra omnia Tartarea venena antidotum, humilitatem: quàm illa pertimescimus, tam hâc amemus, bibamus; longum, sapius, sitientissimè bibamus, hauriamus, in imas animi venas demittamus, donec tori nihil nisi humilitatem sapiamus, spiremus, exhalemus: ipsaque quodammodo animæ nostræ viscera sic in humilitatem abeant, vt si quo casu impronisa sese insinuauerit superbia, ferre non possint, concutiantur, fastidiant, euomant. quod equidem consequemur numquam, nisi longo fortiq; certamine, & exundante gratiæ diuinæ profluuio, medullis naturæ infixam superbiæ euellerimus, & in humilitatis radicem transplantati fuerimus. Quæ autem humilitatis radix, nisi Dominus Iesus, & sancta eius mater Maria? ô mater, ô optime, & hominum amantissime fili, hac tua nos virtute dona. Vt illam nos doceres, illa nos donares, tam fecisti multa, plura pertulisti Domine: ecce, doceri, donari volumus; quod voluisti perface: sic illam cordi & amori inscribe penitissimè, vt nihil nos ab ea dimouere vquam valeat.

Sed pergamus, & compendiosiore summa utilitatem horum graduum, & ad perseverantiam momentum breuiter perstringamus. Certè enim, cum omnis inconstantia & à perfectione discessio, ex affectuum malè compositorum inæqualitate ac perturbatione nascatur, fieri non potest quin constantissimo, sibi que simillimo decursu, illius hominis vita tora deuoluatur, qui spes cogitationesque suas extra omnè rerum humanarum aleam positas, ipsa diuinitatis æternitate firmavit: sic autem se firmavit quisquis & sui & rerum procreatarum omnium contentione se sursum extulit, Dominiq; sui Iesu Christi imitandi studio, exardescens eius in se formam transtulit. Vnde & illud sequitur, vt eiusmodi

viro vel omnes iam virtutes in sint, vel certè earum sit ei consecutio facillima: quid hunc à summa fortitudine retardet, quem pericula, terrores, dolores, infamia, & acerbissima quæque ad eò non exterrant, vt blandimenta potiùs, vel ad summum puerorum terribilissima videantur? quid eius temperantiam emolliat, cui dulcia, lenia, blandà, & sensibus arridentia omnia nauseam commouent? quis affectus offundat prudenti iudicio tenebras, cum numquam nisi vnus & solius summi Dei amore in partem vllam feratur? quid illi sit in obediendo difficile, cui, præ laborandi patiendique desiderio, ipse in quietem labor, in solatium dolor, in serenum omnis abiit tempestas? Videas mihi eiusmodi viri mores, motusque omnes mira æquabilitate compositos, decoros, latentiumque virtutum non obscura signa prædentes: superciliosum, vel austerrum nihil in vultu; leue, lubricum, curiosum nihil in oculis; nihil vllò in gestu indecorum, placidissima mentis ornamenta ipso etiam fulgère videntur in corpore, intuentiumque animos ab oculorum aspectu inuitatos, ad contuendam virtutis pulcritudinem transfere. Et verò, quid illud dicam quod vnum summum est, ceteraque quæ fingi possunt omnia complectitur; sic hominem, Dei simillimum, Deo coniunctissimum mentis vnus, vnus cum Deo spiritus efficit: potestne dignius, aut exoptabilius aliquid excogitari? atqui diuina illa, vel similitudo, vel coniunctio, tantopere his in humilitatis gradibus elucet, vt non alia magis ratione conflentur & existant.

C A P V T VI.

Eadem humilitas quàm sit Religiosis necessaria.

Quæ diximus, omni hominum generi communia sunt: addam & quiddam nostræ Societatis, & Religiosis hominibus obseruatione dignum, vnde videant, absque his humilitatis gradibus, aut omnino, aut certè dignè in Religione perseverari non posse, ruinæque præparari, quidquid sanctitatis, huic fundamento non impositum, altius extuleris.

Verbo dicerem, absque illis nec ipsa (vnde tamen Religionis natura conflatur) Religiosa vota seruari, nec socialis vitæ pacem florere, nec imposita munia vtiliter exerceri posse: sed hæc singula perspicuè demonstrari conuenit. Et primò quidem,

Paupertatis numquam is erit obseruator accuratus, qui secundo tertioque humilitatis gradu nondum exornatus, variarum rerum amoribus est obnoxius, & res duras perhorrescit: sic enim, vel commodorum desiderio, vel incommodorum timore incitatus, eam rerum copiam sibi comparare conabitur, qua illis abundare, hæc declinare se posse crediderit. Quòd si optata frustratur euentus, nec habeat vnde sibi prospiciat, conditione prope modum infeliciose vtetur, iis adnumerandus qui necessitate, non virtute sunt pauperes, ac etiam deterioribus

bus illis, qui violatæ paupertatis rei sunt: eam enim constat non sola rerum possessione, sed & ipsa cupiditate temerari.

Iam verò, vt omittā veræ perfectæq; castitatis, vel parentem, vel conseruatricæ esse humilitatē; id saltem in confesso relinquendum, non posse illam in eo homine stabilitam esse atque perfectam, in quo cupiditatū varius æstus efferueat: vnde illud etiam efficitur, in eo quoque perfectam esse non posse, qui nō saltem ad secundum humilitatis gradum peruenerit. Si enim aliqua in rebus procreatis, vel sui vel illarum causa putat esse diligenda, quā facile est, vt cupiditate abducatur; abductus, amorem inficiat suum; & sensum etiam (impotentes enim nanciscitur impetus amor) longiùs exorbitet, & in rationis gyrum agrè reduci queat? At ille animus, qui nullius rei sensu, nisi è diuinæ laudis ratione hausto, tangitur, qui nihil exoptat ardentius, quā quibusuis modis etiam dirissimis in expressiore Dei similitudinem efformari, non potest nisi sanctissimis, omnique castitate purgatissimis desiderijs, vbertim efflorescere.

Sanè parum est Angelicæ, (quod passim dicitur) est etiam vitæ diuinæ meditatio, vita castorum: & si *Incorruptio facit esse proximum Deo*; annon proximum & simillimum Deo esse, est incorruptionem & castitatem consequi? Sap. 6.

Perfectè verò obedientem, aut secundus & tertius ille gradus exhibebūt, aut nusquam in hominibus reperiri posse fatendum erit. Quis enim ad quæuis abiectissima, humillima, dura & ardua, imperio maiorum subeunda, alacrior, constantior, perseverantior fingi potest eo viro, cui nihil in rebus humanis exoptādū, præter Domini sui Iesu Christi imitationē videtur? quem quoties cogitat: & verò, estne quādo nō cogitat? sed quoties eū suæ cogitationi perfectius obicit, nonne continuò, splendidissimo admirabilis illius obedientiæ fulgore perstringitur, qua voluit summus ipse Deus, cuius imperij nec terminus, nec initium, nec finis esse potest, obediens tamen fieri, & pro nobis sceleratis, perduellibus, propudiosis, omniq; flagitiorum colluione sceleratis, obediens vsque ad mortē & mortem crucis fieri, nobilissimamque & sexcentis mundis pretiosorem vitam in eius virtutis cōmendatione ponere, cuius præ cæteris obseruationem diuino sancendam iudicaret exemplo? Sed hæc indicasse sit satis: prolixum enim foret, si incitamenta, conditiones, rationesque obedientiæ proprias, ex his pendere, vel cum his humilitatis gradibus connexas esse demonstrarem, quod & satis obuuium est, & potest quinis suo pte Marte animaduertere.

Id etiā antè sumēram, non posse socialis vitæ pacē absq; his gradibus florere, quod propius intruenti perspicuū est: nec enim alia vlla re magis, quā caritatis amore, ac vnus eiusdemque voluntatis coniunctione firmatur; lenitate coalescit; mansuetudine perennat. Nihil est eius hominis conuictu iucundius, qui suæ nulli desiderationi adhæret, nullam suam habet voluntatem, iudicia sua vel opiniones pertinacius non fouet, in res quasuis modo à peccato immunes flecti cereus, nihil exambit, nihil horridè detrectat, ad quosuis casus

impavidus est, amicos gratè fouet, inimicos diligit, iniurias blandè tolerat, irasci & indignari nescit, cuius benefacere promptus, à quouis mala pati promptior, adeoque nulli inuidet vt alijs quàm sibi commodare malit, primas vltro defert cæteris, postremas referuat sibi: his omnibus amicitia sanctæ illicijs eius abundat animus, quem duo postremi gradus humilitatis exornant.

At verò, quis non videt discissionis animorum causam ex varijs cupiditatibus existere: eandem rem duo diuersi si concupiscunt, riuales fiunt, inde & rixæ & inimicitia, inde amicorum hinc & inde conflatorum factiones, contentiones, iurgia, detractiones, ac sæpenumero deplorandi exitus. neque id solùm, quàmquam grauius, in ijs doleas qui communi seu mundana in vita, ventis remittique cupiditati velificantur suæ: sed in ijs quoque qui Religiosam vitam amplexi sunt, accidere necesse est, nisi euagantem desideriorum suorum licetiam, fevero humilitatis huiusce lupato coercuerint. Quid enim? si commodi, si honoris, si rei alicuius viger appetitus, nihil relinquetur intentatum, donec optata liceat consequi: hinc furtim lædatur caritas, offendiculum alteri præbebitur, rectè factorum laudes minuentur, exaggerabuntur vitia, occulta probra pendentur, intercessores ac fautores parabuntur, infinitæ denique, narratæque indignæ fraudes confluentur. idque omne vno ex hoc fonte profluet, quia nondum ad hoc deuentum est, vt nihil nisi diuinæ laudis maioris gratia diligamus, vt duriora potius & contemtiora, quàm blandiora & honoratiora cupiamus.

Moral. l. 25.
c. 15.

Qui patientiam seruare contemnit, inquit D. Gregor. socialem vitam citius per impatientiam deserit. Neque enim vquam seruari concordiam nisi per solam patientiam valet. Crebro namque in humana actione nascitur, vnde mentes hominum vicissim à sua vnitæ ac dilectione separentur, & nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhaeret. Hinc etenim Paulus ait, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Ita ille.

Sed ad id quod postremo loco recensueram, veniendum denique est, non posse videlicet Religiosa munia absque his humilitatis gradibus qua decet virtus absolutione obiri: quod ipsum, vt à suo primo capite arcesamus, ex eo satis constare videtur, quòd cum proximior Domini nostri Iesu Christi in humilitate ac paupertate, perfectionisque consilijs imitatio, Religiosæ vitæ sit basis ac anima; non potest, qui absistius humilitatis consecratione longius abiuerit, Religioso illo spiritu, à quo eiusmodi opera prodeant, abundare: nec de huiusmodi Dominum dixisse credendum est, *Posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*; sed de ijs qui cum de mundo non essent, omnem spem suam cogitationemque, ab infimis & humanis ad suprema & diuina transtulerunt: ideoque tantam suis operibus vim inspirant, vt nequaquam breui peritura, sed in æternum permanens perficiant. Quod quoniam cuius Religioso propositum esse debet, nec ea illi sunt amanda quæ ad speciem & ad breue momentum blandiantur; spectare in omni suo labore ac industria oportet, vt vel sibi vel alijs

alijs in vera semper solidaque virtute prouentum aliquem curet accedere: quod cum nequaquam fieri possit, nisi in tuum ipsius alteriusve animum eos infixeris ad bonum aculeos, qui non facile euelli queant, sic autem in hominis animum penetrare & ad sanctitatem promouere, diuinæ sit potentia; non poterit id quisquam suis viribus, sed opitulante diuina gratia consequi: atqui hanc Dei gratiam nemo impetrabit uerius, quam is qui nihil suum in humanis rebus affectans, ad eò diuini honoris amplificandi cupidus est, ut se omni honore exspoliatum, omnibus vitæ commodis exutum, ignominia, cruci, dolori, dirissimis quibusque in perpetuum libens addicat, dum vel sic similior crucifixo Domino fieri, aut diuinæ gloriæ commodare queat. At uerò qui sui honoris aut commodorum etiamnum appetentior aut retinentior est, Deum re uerâ & sincerè non quæret, dum se frequenter quæret: cumque permulta diuersissima à Religiosis, & præcipuè in Societate suscipienda sint, cum de subito casus uarij emergant, quibus Religiosorum opera multipliciter est necessaria, idque perdit, aut ad breue tempus, quouis loco, uibe, regione, quouis tempore, quouis conditione, in rebus facillimis, difficillimis, naturæ gratis & ingratis, honorificis aut uilioribus, quam necesse est imperia esse impedita, quam molestas muniorum diribitiones, ubi deficere horum graduum humilitas reperietur: ingrata, uilia, laboriosa, in honorata vel non suscipientur omnino, vel grauatè & imperfectè obibuntur, & celerius excutientur à nobis: iucunda, facilia, honorifica, certatim, ac fortassis etiam non sine ambitu, æmulatione & fraudibus expetuntur: & uerò non ad perfectum, sed ad uanam quandam ostentationem, humanæque gratiæ occupationem inanissimè fiunt. Inde, primò quidem blandientur multa, at denique iusto Deo vindice, & superbiæ semper obliuente, funditus ruent omnia. adeò in Religione perennare nihil potest, quod non est humilitate fundatum. Quædam etiam huic Societati propria sunt, ut uotorum uarietas, profitendi dilatio, conscientia apud Superiorem reuictio, defectuum quorumuis per quemuis correctionis causa delatio, & alia istiusmodi, quorum usurpationem uicini uicquam placere poterit, nisi eius animum humilitatis huius amor occupauerit. Sed non est cur in singulis hæream.

Est uerò quod diligenter obseruatum uelim, non posse quietam, tranquillamque, & suo Religioso instituto dignam vitam ex perfectione traduci, nisi ijs exornetur moribus, potissimisque uirtutibus, quas ueluti fundamenta cæterarumque origines esse uoluit is qui proprium illi vitæ generi spiritum inspirauit fundator, aut (ut uerius loquamur) sanctus ipse Dei Spiritus. & hoc ipsum capite II. iam est à nobis probatum. Quare cum tantopere hos esse suis hominibus ad cruce expetendas necessarios animos censuerit B. Ignatius, quicumque ad eiusmodi uirtutis perfectionem non aspirauerit, audeo dicere, & sibi & alijs est eritque grauis, & in Societate tua, sancte Pater, membrum est uel emortuum, uel etiam pestilens. Ecce in ueritate, & in Domino Iesu, dico tibi, mi frater,

ter, nisi tui ipsius existimationem omnem exuere, crucis, contumeliarum, rerum sensui & cupiditati contrariarum amorem induere conaris; dignitatum titulos exuisti, at Religiosum Societatis nondum induisti: illa sapienter detrimentum putasti, at Christum necdum lucrifecisti: tua reliquisti, te restat ut relinquas; in illo inchoatur, in hoc perfectio consummatur. Det tibi largitor gratiarum Deus, det omnibus eiusdem sacrae militiae tirocinium ponentibus, ut quam in Societate necessaria est hac rerum omnium sui que contentio, tam ad eam indefesso, contento, sed & prudente conatu alacres euoletis, tirocinijque deinceps annis euolutis, in eiusdem virtutis progressu, vtilem tota vita vestra operam collocetis.

CAPUT VII.

Hanc perfectionem sibi ob oculos posuerunt Sancti omnes.

VNum quidem spiritum, omnia sanctitatis dona prout libuerit diuidentem, in Sanctis admiramur & agnoscimus, sed ea maxime promouentem, quae ad sanctitatem magis necessaria sunt: quare, cum docente S. Gregorio, virtutes absque humilitate congregari non possint, nihil mirum, si quibus virtutum perfectionem, iisdem humilitatem maximam infuderit sanctitatis auctor Spiritus. Delibemus de Sanctis nonnulla, quibus tanto efficacius quo breuius commenderetur.

Causam & rationes persequitur D. Hieronymus epist. 32. scribens: *Quamuis* *mibi multorum sim conscius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar,* *Delicta iuuentutis meae & ignorantias meas ne memineris: tamen sciens scriptum esse ab* *Apostolo, Ne inflatus superbia incidat in iudicium diaboli: & in alio loco scriptum, Super-* *bis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam: nihil ita à pueritia conatus sum vitare,* *quam tumentem animum & ceruicem erectam, Dei contra se odium pronocantem.* *Novi enim magistrum, & Dominum, & Deum meum, in carnis humilitate dixisse,* *Discite à me quia mitis sum & humilis corde: & antè per os David cecinisse, Memento* *Domine David, & omnis mansuetudinis eius. Et in alio loco legimus: Ante gloriam* *humiliabitur cor viri, & anteruam eleuatur. Et D. Augustinus: Non aliam tibi* *ad capeffendam & obtinendam veritatem viam munias, quam qua munita est ab il-* *lo, qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem est, pri-* *ma, humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas: & quoties interrogares hoc di-* *cerem: non quo alia non sint praecepta qua dicantur, sed nisi humilitas omnia qua-* *cumque bene facimus & praecesserit, & comiterur, & consecuta fuerit, & proposita quam* *intueamur, & apposita cui adhaeamus, & imposita qua reprimamur, iam nobis de* *aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Praeclarè & à* *pri-*

Psal. 24.

1. Tim. 3.

1. Pet. 5.

Matth. 11.

Psal. 131.

Prou. 16.

Epist. 56.

primordijs id repetit S. Athanasius, ita loquens: *Ingenus remedium est ad salutem, humilitas: Satanas enim, non ob fornicationem, aut adulterium, aut furtum, deiectus est à caelis: sed superbia eum precipitauit ad abyssi partes infimas. — Superbia igitur, in diabolo: humilitas, est in Christo. Sed vniuersim loquuntur hæ sententia; cuius generis infinitas aceruarè quiuis queat: addamus quod sit magis proprium, gradibusque explanatis conueniens.*

Cùm illud in animo tibi fixum stabilieris, inquit Magnus Basilius, omnium te quotquot sunt mortalium esse contentissimum, peccatisque onustissimum, & peregrinum ac vagum, & quem sola tantùm misericordia adducti, ij qui priores te se à seculi huius curis auocarunt, sibi in societatem adsciuerint, studiosè operam dato, vt omnium nouissimus sis, ac omnium seruus: quando ista vna ratione veram tibi ac solidam gloriam paries. Et Bernardus, Ego plagis conscientia mea, nullum iudico accommodatius medicamentum, probris & contumeliis. Et D. Hieronymus virginem Deo dicatam præceptis influens, non aliunde quàm ab amore Christi, ad omnia toleranda eam præparat. Amemus, inquit, & nos Christum, eiusque semper quaramus amplexus: & facile videbitur omne difficile: breuia putabimus vniuersa quæ longa sunt: & iaculo illius vulnerati, per horarum momenta dicemus: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est! aliaque, ad finem vsque epistolæ lectu dignissima persequitur, docens exemplo Sanctorum, æternæque beatitudinis amore aspera omnia lenienda. Sed hoc argumentum plenissimè ac elegantissimè à Diuo Cypriano audiamus: & quamquam non pauca sunt, quæ differri ad sequentia potuissent, simul tamen apponam, ne dictionis ac sententiæ lepor distractione partium pereat. Is igitur ita scribit: Non inuenio, fratres dilectissimi, inter ceteras celestis disciplina vias, quibus ad consequenda diuinitus præmia, spei ac fidei nostra secta dirigitur: quid magis sit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam; quàm vt, qui præceptis Dominicis obsequia timoris ac deuotionis innitimur, patientiam maximè tota obseruatione tueamur. Patientia; vetò nomine sic vitur Cyprianus, vt eorum omnium, quæ tertio humilitatis gradu contineri dixi, tolerantiam, animùmque ad illa paratum complectatur, vt ex iis quæ sequuntur satis est clarum. Est nobis, ait paulò post, cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput sumit. Origo, & magnitudo patientia, Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo cara est. Bonum quod amat, maiestas diuina commendat. Si Dominus nobis & Pater Deus est, sectemur patientiam Domini pariter & Patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo, & quanta patientia; quòd in contumeliam suæ maiestatis & honoris, instituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & sacra sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos aequaliter facit diem nasci, & lumen Solis oboriri; & cum imbris terras rigat, nemo à beneficiis eius excluditur, quo minus iustis simul & iniustis, indiscretas gratias largiatur. Videmus inseparabili

P

equi-

Orat. de
virgin.In Affect.
de abdic.
saecul.Epist. 389.
Epist. 24.Lib. de pa-
tientia.

Ezech. 18.
32.
Idem c. 33.

aquitate patientia, nocentibus & innoxiiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbuta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris, imò continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & praestitutum semel retributionis diem patienter expectat. Cumque habeat in potestate vindictam, maualt diu tenere patientiam; sustinens scilicet elementer & differens, ut, si fieri potest, multum malitia protracta, aliquando mutetur: & homo in errorum ac scelerum contagione volutatus, vel serò ad Dominum conuertatur, ipso moriente & dicente: Nolo mortem morientis, quantum ut reuertatur & viuat. ita habet interpretatio Cypriani, & nos alio loco significantius & clariùs, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut conuertatur impius à via sua, & viuat. Etece quomodo contumeliarum, iniuriarum, minutiq;e honoris patientiam in diuinæ bonitatis imitationem refert sanctus Doctòr. Idemq;e asseueratione Domini nostri Iesu Christi probat, afferentis in eo perfectionem nostram esse sitam, si istiusmodi patientiæ imitatores euadimus. Estote itaque vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est. Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit & docuit caelesti natiuitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo diuina quam peccato Adam perdidit, manifestetur & luceat in actibus nostris. Que gloria est, similem Deo fieri, qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit equari! Nec hoc, fratres dilectissimi, Iesus Christus Deus & Dominus noster, tantum verbis docuit, sed impleuit & factis. Inerectis deinde quibusdam ita pergit: In Iudæis verò tolerandis equanimitas quanta, & quanta patientia, incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fouere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, prophetarum interfectores, & aduersum Deum rebelles, vsque ad crucis & passionis horam velle colligere! Sub ipsa autem passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, qua conuictorum probra patienter audita, qua contumeliarum tolerata ludibria; ut insultantium sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulò antè formasset; & in cuius nomine à seruis nunc eius, diabolus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis, qui martyras floribus coronat æternis; palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincens tribuit; spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis ceteros vestit; cibaretur felle, qui cibum caelestem dedit; aceto potaretur, qui salutare poculù propinauit. Ille innocens, ille iustus, imò innocentia ipsa, & ipsa iustitia, inter facinorosos deputatur; & testimoniis falsis veritas premitur, iudicatur iudicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, Sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat; ille non loquitur, nec mouetur, nec maiestatem suam suo ipsa saluè passione proficitur.

fructur: vsque ad finem patienter ac iugiter tolerantur omnia, vt consummetur in Christo plena atque perfecta patientia. Et post ista omnia, adhuc interfectores suos, si conuersi ad eum fuerint, suscipit; & patientia salutaris, ad conseruandum benignus & patiens, Ecclesiam suam nemini cludit: illos aduersarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si poenitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed & ad præmium regni celestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? viuificatur Christi sanguine, etiam qui fudit sanguinem Christi. — Quid si & nos, fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostræ via; qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur; sicut Ioannes Apostolus instruit dicens, Qui dicit se ^{1. Ioan. 2.} in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit & ipse ambulare? Item Petrus, super quem Ecclesiæ Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit & dicit: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum vt sequamini vestigia eius; ^{1. Pet. 2.} qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. tra-
debat autem iudicanti se iniuste. Ecce quàm aptè ad argumentum nostrum scribit Cyprianus, ostendens non solis Religiosis, sed Christianis etiam omnibus, eadem esse sanctitatis exempla sectanda, quemadmodum ipse Dominus Iesus illa in commune proposuit imitanda. Quæ ipsa in breuem summam benè collegit D. Gregorius his verbis: ^{Lib. 30. Mor. c. 15. vel 30.} Studebant omnes superba Adam stirpe progeniti, prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam sequi: venit inter eos Dominus incarnatus, aduersa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens, — fugit quod omnes appetunt, appetit quod omnes fugiunt. Idcirco namque inter nos homo factus est, vt non solum sanguine suo nos redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret.

Quid ergo? Filius Dei passus est, vt nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, vt filius Dei esse perseueret? Audi, & rebus ipsis comprobare ^{Cyprian. ep. 56. Gradu 4.} satage doctrinam Climaci, qui cum docuisset nequaquam illum habendum esse patientem, qui à solo suo Præposito, sed eum qui ab omnibus pati, contemni, reprehendi constanter tolerat: quædam quasi effata, omni veneratione dignissima proloquitur. Bibe, inquit, summa alacritate obiurgationes atque irrisiones, à quouis homine tibi propinatas, non aliter atque aquam vitæ. Potare enim te quærit salubri potione, & per quam omnis animi lasciuia atque luxuria purgeur. Nam huiusmodi re vera haustu, orietur intima & profunda castitas in anima tua, luxq; Dei candidissima in corde tuo non deficiet. Iterumque; Is, ait, qui ad placidissimam animi quietem, atque ad Deum currit, die omni qua maledicta non sustinet, ingens detrimentum se sustinuisse arbitratur. Quò vt quasi gradatim veniatur explicans; Initium beate tolerantie est, in amaritudine & dolore anima ignominias suscipere: medium verò, eas tolerare sine mænore: ^{Gradu 4.} finis autem & consummatio, summam illas laudem existimare. Quibus verbis docet

aptissimè, quibus quasi internodijs, virtutis huius progressio, suis incrementis augeatur: quod ipsum confirmans ille Ioannes Abbas qui in eundem Climacum scholia edidit, verè scribit, *Secundùm mensuram humilitatis, datur patientia in tribulationibus & tentationibus; secundùm patientiam, alluiatur onus tribulationum: & per patientiam pergens, consolationem participat: secundùm consolationem, magnificatur caritas ad Deum, & secundùm caritatem possidet gaudium.* Non longè ab his diuersus abit D. Bernardus, aliam distinctionis normam spectans. *Qui dicit se in Christo manere, inquit, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Descendamus per viam humilitatis, ponaturque in nobis primus eius gradus, id est primus profectus, nolle dominari: secundus, velle subijci: tertius, in ipsa subiectione quaslibet contumelias & iniurias illatas aquanimiter pati.* Primo gradu caruit in celo Lucifer — qui irreparabiliter cecidit de celo: & hoc idè fortè, quia omnino irreparabilis superbia est, velle dominari. Secundo gradu caruerunt primi homines in paradiso. — Tertium gradum non habent, qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt.

Serm. 18.
in parus.

C A P V T VIII.

Flustria huiusce humilitatis exempla prisorum.

Equidem ad tertium perfectionis gradum illum dilaudatum peruenerat Libertinus, cuius virtutem patientiæ, signis & miraculis præferre se scribit Magnus Papa Gregorius: cum enim aliquando monasterij Præpositus tanta in eum iræ acerbitate desquisset, vt & manibus eum caderet, arreptoque scabello suppedaneo, faciem ac caput ita tunderet, vt totus vultus tumore ac liuore deformatetur: tam pacato id animo pertulit, vt postridie manè, ad sibi creditam rerum monasterij procuracionem domo exiturus, demore monachorum, ad Abbatem (qui è lecto nondum surrexerat) benedictionem postulaturus humiliter accesserit. Erat is Libertinus, qui apud multos gratiosus, & in primis honoratus esset, itaque suspicatus Abbas eum ob illatam iniuriam de relinquendo cœnobio cogitare: *Quò, inquit, vis abite? Respondit placidissimè, Dies est hodie, transigendo monasterij negotio constituta, cui me prætor futurum addixi, nec possunt sine monasterii damno, meæ partes desiderari.* Hac responsionis benignitate percutus Præpositus, suam asperitatem & impatientiam, huius humilitatem ac mansuetudinem agnouit, è lecto desiliit, ad pedes Libertini se abiecit, se reum profitens, qui tali viro tam durus & contumeliosus fuisset. At in sua ille humilitate perseverans suæ culpæ, non illius fauitiæ, id ferebat acceptum. Abiit ergo, cumque viri nobiles, quibus erat accepti-

Lib. 1. Dial.
cap. 2.

primum, tumentem quidamque faciem mirarentur, causamque sciscitarentur: Peccatis meis, inquit, exigentibus, heri vespere in scabellum impigi: atque ita Præpositi sui honori consulebat, ut veritatem tamen haud læderet.

Similis in dissimili re virtutis exemplum accipe, & iuuenem tam in virtute progressum robustumque mirare. Confederant magno numero monachi ad mensam, & peregrè quoque nonnulli aduenerant, cumque eorum qui ex officio tunc ministrabant, paulo tardius quidam iuuenis ferculum intulisset, Abbas Paulus, quasi eius tarditatis mora offensus, exerta manu talem iuueni alampam infregit, ut aures eorum, & longius confidentium auribus sonitus resisteret. Tanta verò mititate id excepit præclarus iuuenis, ut non modò ab omni vel tenuissimo murmure abstineret, sed etiam oris modestia, tranquillitate & colore immutatis, ad spectaculum tantæ multitudinis, ne quidem rubore genas tinxerit. Nota erat Abbati iuuenis virtus, volueratque modestissimæ patientiæ publico exemplo, eos qui intererant erudire. Erudiamur & nos legentes: ac quoniam verborum D. Bernardi occasione huc utiliter defleximus, id genus alia subiungamus. Ex vno nobis cænobio plures prædeant:

Primusque veniat quidam Isidorus, vir olim Alexandria primarius, qui cum perisset monachorum numero inseribi, Pastor, ex ipso aspectu, asperum quemdam, intractabilem, superbum, ac sæculi dignitate adhuc tumidum conciliens, ut fastium omnem extunderet, Si re vera, inquit illi, Christi iugum subire decreuisti, volo ut ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille, Sicut fabro ferrum subditur, ita me, ô sanctissime, versandum tundendumque obedientiæ trado. Quibus verbis lætatus, Volo igitur, inquit, ut præ monasterii foribus perseueres, omniumque ingredientium & egredientium genibus aduolutus dicas: Ora pro me, Pater, peccator enim sum. Suscepit id Isidorus, septemque ipsos annos tanta in humilitate perduravit. Quibus exactis, cum eum Abbas in cæterorum numerum coopere, velut dignissimum vellet, multorum, atque ad eum ipsius Climaci precibus, enixè conatus est impetrare, ut quem instituerat vitæ cursum, ad extremum usque tenere sineretur. Præsentiebat vir sanctus, breui se ad laborum metam esse venturum: nam & decimo post die obiit, à summissione & humilitate ad cælestis regni excelsa translatus. Cum verò etiamnum in viuis degeret, de se factus est, initio, se in animum induxisse, quasi si pro peccatis venditus esset: multaque cum amaritudine animi, & vi sibi illata, ita ad aliorum genua accidisse: vix autem annum in eo posuisse, cum id sine mærore, & cum expectatione diuinæ mercedis faceret: at anno tertio sic affici cœpisse, quasi omni monasterii conuersatione, diuinorum participatione Sacramentorum, Patrumque aspectu

Cass. col. 19.
cap. 1.

Clim.
Gradu 4.

tam indignus esset, ut in nullius facie oculos desigere auderet: ita que sic de pressis humi luminibus, & summa humilitate animum insidente, obuios quoque, voce supplici demississime rogabat, Pro se peccatore orarent.

Idem aliquando Abbas, ad mensam assidenti Climaco dixit, Ostendam tibi in decrepita canicie diuinum sensum atque prudentiam: ad se igitur euocat Laurentium quendam, octogenarium senem sacerdotem, & qui 48. annis in monasterio vixerat. accedit ille confestim, genibusque flexis benedictionem postulat, surgit, & Abbate, nullo nutu ut inde recederet indicante, ita ieiunus, comedentibus ceteris, ad vnam vel alteram horam stetit immotus, vix ut in venerandi senis faciem intueri præ verecundia auderet Climacus. Qui idem, que sita opportunitate, cum eum interrogasset, quid ibi adstans cogitasset? Christi, respondit, imaginem & personam Pastori imposui: neque ab homine præceptum hoc prorsus exiisse, sed à Deo existimaui. Quare, ô Pater Ioannes, non coram mensa hominum, sed coram altari diuino adstare me putans, orabam. Sed & hoc scito, Pater, quod cum quis innocentia ac simplicitati se omnino dederit, nullum maligno, contra se, aut tempus aut locum dabit. O præcepta, tironum cordibus penitissime insculpenda! à Deo, non ab hominibus, regi se, sibi imperari credant; idque tanta simplicitatis firmitate conseruent, ut ad extremum vsque senium, imò ad extremum vitæ, per quemcumque implicatissima munia traductæ, spiritum, nihil vnquam de Superiorum iussionibus exquirant, suspicentur, aut in deterius interpretentur. Vix tamen erit ut eò pertingat quisquam, nisi eos quoque nanciscatur Prepositos, qui latentis virtutis igniculos excutere, fouere, augere sollicitè curent: quod nisi fecerint, crudeles eos, ibidem idem auctor, nec immeritò pronunciat: nam & illis progressum, & alijs virtutis exemplum inuidet; ac nonnumquam densa vitiorum filice, ob solius culturae defectum, mens illa sordescit, quæ iam diuino virtutum saru fecundari, & sanctorum desideriorum semine germinante, exornari cœperat: ibi videas pro mansuetudine asperitatem, pro patientia iracundiam, pro humilitate superbiam & honoris appetentiam succrenisse. Quàm grauitè, putas, huius vineæ Dominus, negligenti succensabit agricolæ, cum suo tempore fructus exiget, & pro vuis reperiet labruscas? ô fratres mei, utinam hic sit semper nobis animus, ut ad hos fructus ferendos, excoli omni ratione cupiamus! ut quemcumque à nostris Prepositis iubemur, abs optimo nostrique amantissimo animo profecta credamus, ipsique vtrò, ut ad perfectiora nos promoueant, virgeamus. Id monui, id monco, sed neque iterum iterumque monere piger: nec enim aliunde, tam est rara perfectio, quàm quia rarus, aut nullus est, qui alium ad eam excolat, sponte verò peruenire, paucorum, incitatissima vi ingenij, & singulari Dei gratia præditorum est: sunt autem rari qui excolant, quia non est qui se velit excoli, Cur mihi inquirimus, cur non isti, cur sic durè, cur hoc tempore, cur immerenti pœna talis

ralis imponitur? huius delatione, illius suggestione, alterius fraude id factum, alieniore à nobis animo id decretum fingimus, ficta credimus, & saluberrimam medicinam suspiciosa mentis vitio in potionem letiferam vertimus. quod cum animi nostri cultores animaduertant, annon merito omni refectione abstinent, qua sic nostra mala in crudescere, & exitialia fieri vident? At, qui velit excoli non desit, & qui excoli non deerit.

Eiusmodi fuit eodem in loco quidam Abbacyrus nomine, qui cum natura paulò esset dicacior, ac elabente saliore verbo in ceteros procacior; ipse se sanari cupiebat, & vtrò ad omnia demittebat. ergo iniurijs, contumelijs, & quodammodo persecutionibus impetebatur à ceteris, etiam famulis, adeò vt nonnumquam expelleretur à mensa, & dormiret in cœnatus: at ille summa æquitate animi omnia perfererat; donec post summam quindecim annorum patientiam, ex hac vita emigrauit, dicens ijs qui adstant; *Gratias ago Domino & vobis, Patres, quòd ad meam salutem me tentastis iugiter: hac enim ex causa immunis à tentatione demonum haecenus mansi.* Quo dicto placidè excessit è vita.

Sed accipe vinum ex aqua, gaudiù ex contumelia. Alexandriam, negotiorum causa, profectus erat Macedonius Archidiaconus; ad diem condicta rebus nondum ex animi sententia peractis, redire non potuit. ergo oblata occasione vsus Abbas, reuertentem amouet ab officio, & à monachorum consortio, ad vltimū tironum & incipientium ordinem ablegat. quam ille ignominia notam, adeò prompto & intrepido animo suscepit, ac si non ipsi, sed alteri alicui iniusta esset. Quadraginta diebus per eam vitæ ratione exactis, pristino eum gradu restituit Abbas. verùm audi rem verè mirandam, atque vrinam aliquando etiam imitandam; altera die venit Macedonius ad Abbatem, obsecrat vt sibi in eadē ignominie humilitate perseverare liceat, se quippe dū nuper Alexandria esset grauiter peccasse. Innocentis animū humilitatis exercendæ audidum, agnouit Abbas, & permisit: Itaque videre erat canicem venerandam in incipientium ordine quasi ob delicta degere, & à prætereuntibus genu flexo rogare, vt pro se peccatore orarent. Cuius facti causam roganti priuatim Climaco, hanc aperuit; Numquam, inquit, ita me omni impugnatione liberam sensi, numquam in me diuini luminis tantam, vel claritatem vidi, vel dulcedinem sensi.

Fuit & Mennas, primus ab Abbate, & cui omnium esset cura demandata; vir eximia virtutis. huius aliquando patientiam cum periclitari voluisset Abbas, foris redeuntem, & iuxta monasterij consuetudinem, ad excipiendam Abbatis benedictionem prostratum, tamdiu humi iacere permisit, satis vt ei temporis fuerit ad psalterium totum de memoria recitandum: tum verò grauiter obiurgatum, quòd, cum impatientissimus esset, ostentationis gratia omnia faceret, à se dimisit Abbas. Et verò, vtrid longè Deo acceptissimū videas, post annos 59. in monasterio peractos, cum diem suum obuisset, tertio

ab

ab obitu die, mirus est sepultura loco, & fragrantissimus odor exhalavit: permisit Abbas aperiretur locus, & ecce ex viroque pede, bene olentis olei fons emanabat. tum vero is, qui sic eum exercuerat, bonus Pastor, ad fratres exultans ait, En fratres mei, fatigationum ac laborum eius sudores, te vera, quasi unguentum pretiosissimum, oblatis, suscepti, Deoque sunt accepti.

Et quidem digna ista tanto viro fuerunt: ac in patientia virtute mirabilem se praebeat paucioribus annis quidam cui nomen Achatius: Hic immitem cuidam, & ut verè quod res est dicatur, crudeli seni se in discipulum tradiderat, à quo contumelias, oburgationes, ignominiam, ac frequenter verberabat, & summa semper animi aequitate nihil querebatur. Animaduvertebat, & adolescentis virtutem suspiciens, eum subinde solabatur Opanius, magna virtutis vir, eique obuiam factus rogabat, Quid est frater Achatii, quomodo tecum hodie agitur? At Achatius, modò liuentes & tumentes oculos, modò contusam faciem, modò caput vulneratum ostendebat; non senem sibi praepositum, sed se semper accusans, & ad nota patientia certamina accingens. Nouem annos ira decertauit, & ex isto arduo vite genere ad beatam immortalitatem euocatus est. Retulit id Magister Achatii ad quemdam non procul habitantem, dicens, Achatius meus mortuus est. Cui alter, Verè, id non credo: Omnino sic est, inquit ille, sin autem mihi non credis, Veni & vide. Venit uterque ad sepulcrum, tum vero senex ille, qui se mortem Achatii minus credere simulabat, ut alterum doceret, qualem quantumque virum indignè nimis habuisset, clamauit: Frater Achatii, itane tu quoque mortuus es? Ad quae verba, confestim, clara voce, de sepulcro respondit Achatius: Et quomodo fieri posset, Pater, ut moriatur homo obedientia deditus? o veram igitur vitae arborem obedientiam, cuius fructu qui nutriatur mori nequeat!

Sed & huic haud absimilis fuit Ioannes ille, qui grauissima patiendi desiderio, id quaesivit & inuenit monasterium, vbi solus esset peregrinus, & sperneretur ab omnibus, & afficeretur iniuriis, nec vquam de quoquam eorum minus benè sentiret. Qua in patientia cum tres annos durasset, ipse sibi dixit, O homuncio vilissime, nondum tibi ignominia & laborum fatigatio est. quare se amentem & fatuum ita simulauit, ut tamen ministerii sibi commissi partes omnes exequeretur perfectè. Interim, grauissima plurima illi imponebantur, ridebatur, subannabatur, miris modis exagitabatur, sed constantissimè, totos tredecim annos, apud omnes in stulticia opinione vixit: cum tamen & omnium esset sapientissimus, & denique eiusmodi esse sit cognitus. Huic autem eius vitae admodum est consentaneum id quod nunc refero praeceptum: Rogabatur ab adolescente, quae esset optima ad perfectionem & salutem via? triduum respondere distulit, dum precibus Dei voluntatem exquirat. tum adolescenti dicit: Huius diuini moniti

me-

memento semper, Qui perseverauerit vsque in finē hic saluus erit. Eumq; vitæ tuæ spiritualis magistrum & rectorem quære, quo nemo mortalium uigilior, asperior, durior & intractabilior nemo sit, *sub quo perseverans iugiter, obiurgationes & irrisiones, ut mel & lac quotidie bibe. Ad hæc adolescens, Si huiusmodi magister negligens ipsemet fuerit, quid hic ago, Pater? Etsi fornicari, inquit, illum uideris, noli abs eo discedere, sed tibi ipsi dic, Amice, ad quid uenisti: Tunc uidebis tumorem tuæ mentis dissipari, ex-candescentiãq; mitescere?* Ita ille.

Cuius in simulanda infania consilium, facit, ut non possim, non saltem obiter, eius celebratissimæ apud Palladium virginis meminisse, quæ ad rarã quãdam sanctitatis excelsitatem, exhaustis multorum annorum deritionibus, atq; tolerata, per stultitiæ simulationem, feminea procacitate peruenit. Latiùs non describo, notius enim est, quàm ut repeteri debeat: est tamen quod tantæ virtutis exemplo persæpè moueamur. Alia quidem occasione, & semel tantum, verum ex eadem gloriæ fuga, & humilitatis amore profectum fuit, quod quidam veterum præstitit. Solebat is in eremo cuiusdam sæcularis benignitate sustentari: cum igitur boni illius uiri filius in morbum aliquando incidisset, grauiusq; laboraret, senem sæcularis obnixè rogauit, domum secum ueniret oraturus pro filio: non potuit senex iustæ postulationi refragari, vnà proficiscuntur. at ecce de via præcurrens sæcularis, uicinos euocat, uirum sanctum uenire nuntiat, cum facibus & cereis obuiam ire suadet: ita credunt, ita faciunt, uenienteq; procul conspicatus senex, quid sibi uellent non malè coniectat. quid ergo? ad fluiuium fortè uicinum diuertit: uestes exiit, easq; nudus lauare, quasi rem valdè feriam agens, instituit. ô ingeniosam gloriæ fugiendæ magistram humilitatem! Vidit sæcularis ille, ad spectuq; turbatus ingemuit, conuentum quàm potuit honestissimè dimisit: & ad senē dolenter accedens, Quid fecisti, Abba, inquit, omnes qui te uiderunt, te dæmone correptum asserunt? Cui sapientiùs senex, Et hoc erat, quod audire malebam. vsq; eò uiruperari se, quàm sanctum haberi gratius accidebat.

Sed inquit, uideri hæc minùs imitanda: fateor equidem, quantum ad res ipsas attinet, at uel maximè is humilitatis affectus, is animus, ex quo illæ profectæ sunt, æmulatione dignus est: addam tamen, quoniam ita uelle te uideo, quæ magis imitationi sint proposita. Primus occurrit Eulalius, qui in se omnium criminationes suscipiendo, effecit ut omnes innocentia excelleret: uiuebat is cum ceteris, patiens, nihil detractans, nihil ad obiecta responsans: ergo passim iuniores, ubi suas in illum culpas deriuando, se tutos & immunes uiderunt, in eum quisque reijcere, quod à se peccatum quomodolibet fuisset: pœnæ graues, bidui triduiue ieiunatio, ac etiam duriora illi iniungebantur; at Eulalius humi prostratus, se peccatorem, se negligentem fatebatur, modestissimaq; uerecundia illos adorans, absque tergiuersatione cuncta lætus perferebat. Ridebant in sinu nonnulli, fatuum uacordemq; credebant: vsque ad eò, non

Q

tan-

Vita SS.
Pat. p. 2 9.
113.

Vita 88.
Pat. p. 2.
§. 28.
1. Reg. 16.

tantum exercitator, sed etiam verus patientiæ presentis æstimator est rarus. Eò denique contemtionis apud omnes venit, ut ad Præpositum monasterij, ipsi quoque seniores de illo questum venerint, incurium, ignavum, socordem esse, in commissis negligentem, supellectilem plurimam, fictilia vasa propè omnia, illo vastatore perijisse; non ultra ferri posse, cœnobio pellendum. En quàm vana, quàmque parvi ducenda humana iudicia. Verè, *homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Cùm enim eorum præceptum consilium minùs audiisset Abbas, & saltem in dies aliquot distulisset; ad sanctæ orationis præsidia confugit, sciens verum esse illud, Accedite ad Deum, & illuminamini, ab eoque sapientiam & in rebus obscuris consilium esse poscendum. nec spe sua frustratus, quid factu esset opus, diuinitus intellexit: conuocatisque fratribus, Sunt in vobis, inquit, qui de fratre Eulalio conquerantur, at verè dico in Domino, plaris me vel solam eius tegetem cum eius patientia facere, quàm illorum omnia, qui multum operantes marmurant. Atque ut quanti præ ceteris illius virtus fiat apud Deum intelligaris, actutum iubeo, ut suas huc singuli tegetes afferant. Et verbis, & mandato stupentes abeunt, parent, palmeas, ut id temporis moris erat, tegetes in cumulam deferunt. subijcitur Abbatis iussu ignis, cunctæque in fauillas momento eunt, sola Eulalij marta illæsa in flammis perseverante. Annon hîc diceres, illos quidem stipulam, lignum, fenum, at hunc aurum, argentum, preciosos lapides aggerasse, ut patientiæ folius opus maneret illæsum? Et hoc ipsum probè agnouerunt: necdum enim pessimum malum inuidentia, excæcatos mentis oculos occuparat: eumque tanta veneratione colere cœperunt, ut honorem eum sibi haberi nequaquam ferret, qui tantum priùs contemptum, sæuitiamque lætus perferebat: læpiusque ipse sibi dicens, Væ misero & infelici mihi: en perdididi humilitatem meam, quam tantopere acquirere, Domino meo auxiliante cupiebam. Quid facis, Eulali, te honor deliniet, te perdet furtim insinuata superbia. heu! Christum humilem, ubi nisi in humilitate reperies? Existimationis ergo, vel tædium, vel periculum non ferens, noctu fugit, in eremum secessit, ibique omnibus inuisus, desperta gloria, Deo vixit.

Dial. x. c.
14.

Sanè id erat consequens, ut qui humilitatis tam fuerat appetens, tam esset oblatus honoris fugiens: etenim periculosè admodum eius inlerpit amor, & ægrè omnis illius contagio potest excuti. Ipsa Sulpitij verba referam, quibus id perspicias. *Quidam, ait, ex sanctis Patribus fugandorum de corporibus obsessis damnatum incredibilem præditus potestate, multa signa faciebat. Non solum enim præsens, neque verbo tantum, sed & absens quoque, interdum ciliij sui simbrijs, aut epistolis missis obsessis corpora curabat. Hic ergo mirum in modum frequentabatur à populis, ex multis locis ad eum venientibus. Taceo de minoribus; præfecti, comites, atque diuersarum iudices potestatum præforibus illius sæpè iacuerunt. Hic enim omni potu in perpetuum penitus abstinuit, ac pro cibo septem tantum caricis sustentabatur. Interea sancto viro, ut ex virtute honor, ita ex honore vanitas, cepit subreperè. Quod malum, ubi ille primùm potuit in se sentire, gra-*

sari,

sari, diu multumq; discutere conatus est, sed repellere penitus non potuit. Vbiq; nomen eius demones fatebantur. excludere à se consuetem populum non valebat. virus interim latens serpebat in pectore. & cuius nutu ex aliorum corporibus demones fugabantur, se ipsum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conuersus ad Dominum orauit, vt permissa in se diaboli potestate, similis illis fieret, quos ipse curauerat. Quid multis: ille prepotens, ille signis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille ad cuius limina populi antè confluerant, correptus à demone est, ac retentus in vinculis, omnia illa quæ energumeno solent fieri perpeffus. quinto demum mense purgatus est, non tantum demone, sed, quod illi erat vtilius atque optatius, etiam vanitate. Quantum putas, diuino illi viro exofam fuisse superbiam, qui ne quid vanitatis menti insideret, maluerit, quod horrificum dictum est, corporis quasi possessore demone diuexari nec potuit, nisi à fortissimo animo, res ea tam destinatò suscipi: famam sanctitatis, concursum omnium, quàm laudatus esset, videbat, quò ista recasura essent, quæ opinionum futura mutatio, quanta apud omnes secutura miratio, quàm variæ plurimorum sermocinationes ac iudicia, quàm probrosam, humanæ naturæ aduersum, corpori sit molestum, in demonis esse potestate sat etiam videbat. Verùm, hæc & alia plurima maluit incommoda subire, quàm, non dico vanæ gloriæ consentire, sed molesto aduersus eam prælio fatigari: non quod prælia fortissimus miles vereretur, qui tam acre illud minimè detrectauit, sed quòd in eo certamine, vix diu sine vulnere certari solere sciret. Cuius rei testem habemus D. Augustinum scribentem; *Huius hostis vires non sentit nisi qui ei bellum indixerit: quia etsi cuiquam facile est laude carere dum denegatur, difficile est ea non delectari cum offertur.* moxque de se modestè sentiens & loquens; *Hæc mihi ipsecano quotidie, inquit, & tamen vehementer cum aduersario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblata laudis mihi auferre non possum.* Sed hæc ex eius occasione dicta sint, qui non cautiùs vanam effugit gloriationem, quàm acerbissimam ignominiam notam fortiùs appetiuit. Pergamus ad opprobrij & iniuriarum tolerantiam quanta in Sanctis fuerit enarrandam.

epist. 64.

Legimus ab adolefcentiore quodam interrogatum aliquando virum virtutis opinione clarissimum, sibi vt præceptum aliquod traderet cuius obseruatione saluari posset & perfici. Cui vir magnus, Si, inquit, iniurias & conuicia tacitus portaueris, id consequeris: magna enim & præ ceteris est hæc virtus. Quare, non inferioris virtutis quidam interrogatus, cur vsque adeò graues & intolerandi essent demones? Edico tibi, inquit, id esse; quia arma nostra abijcimus, contumelias, inquam, & humilitatem, patientiam & paupertatem. Consonat omnino Zacharias ille laudatissimus Mosis Abbatis discipulus, quem cum aliquando ipse magister, quid ad sanctitatem vitæ maximè conduceret, interrogasset, confestim humi prostratus, Tu me interrogas, Pater, inquebat, ego à te doceri expeto. Cui Moses, Fili Zacharia, vidi Spiritum sanctum, tuæ se menti infundentem, ideoque te interrogo. Tum igitur ille, deactum deiectumque

exp 2.
Vit. SS. PP.

p. 3. l. de humil.

p. 2. & p. 3. l. de humil.

cucullū conculcans: Non potest, inquit, esse monachus, qui non sic conculcari se passus fuerit. Nec aliud, non illepido quodam suo apologo, docuit senex ille Nub dictus, qui post vitam in eremo sanctē traductam, cum incurfione Barbarorum inde se cum sex alijs recepisset, vnaque in deserto quodam templo degerent, sibi ceterisque in primam hebdomadam silentium indixit. Cum autem lapidea nescio quæ ibidem esset statua, vidisses quotidie manē, senem illum, adirati instar, primò conuitijs, tum & lapidibus eam impotentem; die verò iam inclinante, blandiùs eam compellantem, mox & laudibus extollentem, & illatas contumelias sibi indulgeri postulantem. Insanire dixisses, nisi nota viri virtus & prudentia, arcanum aliquid latere persuasisset. Ergo præstituro silentij tempore iam euoluto, rogant ceteri, Quid est, Pater, quòd per hosce dies cum statua sic egisti, cumque sis Christianus, illatas saxo iniurias à saxo tibi indulgeri postulas? Tum verò venerandus senex, Hæc ego, inquit, vestra causa feci, fratres: vidistis, nec iratam conuicianti mihi succensuisse statuam, nec ad laudum præconia inani vanitate tumuisse. Si consultum nobis volumus, nunc maximè nos tales esse oportet. Viximus solitariè singuli, nec erat quod abs alijs ferremus: septem omnino sumus, tranquillitatem igitur animi seruare conuiuendo si volumus, ad statua huius normam mores componamus, nemo iniuria affectus irascatur, nemo laudibus efferatur, nemo humilitate alterius & veniæ petitione gloriatur. Si cui conditio minus placet, quòd voluerit pergat: per me licet. Monenti crediderunt, simul habitare decreuerunt, pluresque per annos, multa in humilitate & patientia, feliciter perseuerarunt.

*1. de humi-
lit.*

Annon hunc animum indurus tibi videtur Moses ille, cui cum clericus fieret, & Episcopus ei superhumerales imponeret dicens, Ecce candidus factus es; respondit, Foris, putas, an intus? ad eò suæ demissionis præsentem semper sibi recordationem gerebat. Cumque patientiæ periculum facturus Episcopus, eum templo eijei mandasset, appositis qui mullantem obseruarent hominibus, recedebat ipse se obiurgans dicensque, Bellè, iustè tecū actū, Æthiops, atrate, sordidissime: non te puduit, cum homo non sis, in medium hominum irrupisse: ita se ipsum infra homines vir magnus collocarat. Idem de se statuerat Nestoron, qui se instar iumentum esse decreuit, vt non aliter atque asinus, omne quod imponeretur onus ferret, nulla vniquam de molestia conqueri liberet. Quod quanti faciendum sit, Sifoius ille, quem ab ipso Christo Domino yas electionis eremi vocatum scribunt, bene docuit, cum cuidam memoriam suam in Deum defixam esse dicenti, ait, Hoc equidem non magnum est, magnum autem, si te sub omni creatura videas. Quam bellè id quidam præstiterint, audi.

*1. de con-
uersat. pat.*

Monachus peregrinus venit ad agapen, refeditque ad mensam cum ceteris. Obseruant ignotum hominem curiosiores, sed & audaciores nonnulli, quis eum inuitat mullrando quærunt; cumque non reperiunt, Surge, inquit, & hinc te foras proripe. Surgit, modeste abire: quod alij cum animaduertissent,

Quid

Quid tacimus, fratres, inquit, ignotum, indicta causa expellimus? & forsan magnus aliquis est, an nos tam immisericordes esse decet? actutum reuocari præstat, ergo reuocatur, confestimque eadem serenitate vultus redit. Cùm autem à reditu sciscitatus esset quidam, Dic nobis quæso, frater, quid tibi mentis fuit, quòd sic expulsus, sic reuocatus fueris? Verè, inquit, cordateque dicam: Me per similem canis esse penitus credidi, qui quoties fugatur, fugit; quoties reuocatur, redit. Quæ tam humilis peregrini responsio indignantium fregit animos, & fuit omnibus perfectionis incentiuum. Idem refert Dorotheus de quodam, *doctr. 7.* cum quo degebat, optimo monacho, qui nullis vniquam turbabatur molestijs, & quamuis plurimi asperimè & durissimè illum haberent, æquissimo omnia & patientissimo ferebat animo. Cùm igitur tantæ patientiæ excellentiam miraretur, cuperetque ab eo intelligere, quam tandem arte eam sibi comparasset, cùm illum obuium habuisset, de more salutatum rogare cœpi, (inquit Dorotheus) ne me celaret, quid nudius tertius, cùm tot iniurijs à tam multis afficeretur, cogitaret, & quomodo illas perferre posset? tum ille paucis & candidè, Sic ad illas me habeo, & non secus perfero, quam ab hominibus blandi canes. His auditis demisi aures, & mihi ipsi dixi, ait idem auctor, Inuenit frater hic viam per quam rectè incedat, meque ipsum sanctæ crucis signo firmans abij, Deo supplicans, vt illum protegeret.

Quid? quòd etiam reperit ille sit, qui consueque sitiret opprobria, vt quo plures contumelias & irrisus pertulisset, eo magis in sinu gauderet, dicens, Isti sunt qui verè nobis profunt, qui nobis veri profectus occasionem præbent: qui verò nos beatos prædicant, illi sunt qui deturbant & perdunt animas nostras. Hoc videbat alter ille, qui ad eò in lucro & beneficio reponebat, si quis de ipso detraxisset, vt detractori (quali se ingratum credidisset, nisi bona rependeret) vel præsentis munus offerret, vel absenti mitteret. Fuit etiam qui à dæmonia- *1. de humil.* ca, quam eiusmodi esse ignorabat, graui alapa percussus, pro assuetæ patientiæ & humilitatis exercitatione, confestim & maxillam alteram excipiendæ percussioni obiecit; sed tantam, superbiæ spiritus, humilitatem minimè tulit, & ex occupato corpore erupit exclamans, O violentia mandatorum Iesu Christi! Quod hæc potuit humilitas, ad corpus à dæmonis potestate vindicandum, omnino & longè certius id poterit, ad animum ab omni eorum impugnatione liberandum. Id ipsum olim professum esse dæmonem legimus: Cùm enim germani fratres duo perfectiorem vitam *p. 2. vit. SS.* in eremo pariter degerent, inuidit malignus dæmon, & coalitam virtute *Pat. 5. 18.* concordiam discindere conatus, effecit vt ad primæ noctis tenebras, iuniore lumen accendente, candelabrum rueret, extinctaque lucerna, maior natu frater minori succenseret, & grauius excandescens minorem etiam percuteret. Hic autem, (vide mitatem) pacatè demisseque humi se prosterrens, Bono animo esto, domine mi, inquebat, etenim illicò rursus accendam.

Fregit huius responsi benignitas daemone vires, & à seniore fratre instigando, delistere coactus est. Quod eadem nocte suo principi referens daemone, inquit; Propter humilitatem istius iunioris non potui superare seniore. Deus enim idcirco statim profudit gratiam suam, & ego ex eo malè torqueor & excrucior. Audiebat hæc idolorum quidam sacrificulus, qui his permotus, & Christianus & monachus factus est, ac præ ceteris humilitatem mirè coluit. Dicebatque daemone, inimicorum nostrorum, machinamenta omnia humilitatis cōtentione dissolui. Frequenter quoque à daemone inter se loquentibus audisse, ita semper fieri, ut quoties ad iracundiam hominum corda succenderint, si quis patienter iram sustinuerit, placideque dixerit, Verè peccator sum; vim omnem suam marcescere sentirent, diuinamque in eiusmodi hominem gratiam effundi.

Finem non fecero si Paphnutium, Marinum, Macarium, & innumeros alios, grauisimorum insimulatos criminum: si Athanasium, Nazianzenum, Chrysostomum, totque viros sanctissimos variè exercitos: si Martyrum infinita examina, omni contumeliarum tormentorumque genere diuexata: si non ita priscae memoriæ Religiosorum, mirabilem in perferendis & appetendis iniurijs alacritatem enarrare cōperero. Ergo me ipse continebo, priscisque illis vnicum eiusdem temporis cum addidero finem faciam: est tamen eiusmodi, ut in hoc vno trimarum virtutum splendor eluceat.

Virtutis opinione celebrabatur Ioannes quidam, cui cum Abbas Dorotheum ministrare iussisset, id ipse tanta alacritate suscepit, ut ipsius etiam cellulae ostium quasi adorans oscularetur, beatum se credens, cui per illud ad eiusmodi sanctum caritatis obsequium aditus panderetur. Quamvis autem tam propenso & ardenti in id ferretur affectu, tamen ubi primum, ô humilitatem, caritatem, & se vincendi desiderium! ubi, inquam, accepit quendam esse monachorum, qui id ministerium vehementer affectaret, essetque ipsa desiderij importunitate subtristior: accito illo Religioso, Abbatem adijt, enixeque rogauit, eius animo ut morem gereret, eum enim esse, qui munus illud longè melius exequi & vellet & posset: fecitque Dorotheus quod in se fuit, ut frater ille sibi præferretur. Potuitne ad benevolentiam maius aliquid addi? Quod postulabaturnegauit Abbas, nouemque ipsos annos, in eodem erga senem caritatis officio, perseverauit Dorotheus. quo toto tempore, (en quanta sit immodicæ desiderationis pernicies.) frater ille qui repulsam passus fuerat improbo liore tabescebat, ac plerumque ab ipso usque nosocomio ad ecclesiam euntem Dorotheum ponè sequebatur, plurimisque conuicijs ac contumelijs insectabatur: quæ ipse patientissimè perfererat, & quamuis præfecturæ monasterij nonnulla illi pars esset delata, numquam vel vnicum eum illo fratre verbum commutauit, vel de illo questus est, aut sibi molestum ostendit. Immo verò cum ad Abbatem delatum eum, seueriusque corripiendam rescisisset, Abbatem adijt, ad
genua

genua supplex proccidit, obnixæque per Iesum Christum efflagitauit, leuius vt confuleret, suum, non fratris, peccatum incusans. Hæc est verè Sanctorum victrix patientia, tot annorum forti certamine illustris. Qui verò in vno id potuerit, profectò & præstabit in ceteris: ita, cum in eiusdem caput quidam sic effudisset vrinam, vt totus etiam lectulus alieno & fetenti lotio maderet, sine querela tacitus pertulit. Quid? quòd aliquando ad Dorotheanæ cellæ ianuam, conuenere complures, & ibidem sollicitius storeas, quibus incubare solebant, excussere, nempe ita solent cimices decuti: cum autem, præ æstu, infiniti propè essent, decussi in vicinam cellam proreplere, & ad noctem vsque pro suo more latuere. redijt vespere labore fractus Dorotheus, altumque dormire cæpit, at ecce improbissimum illud agmen, odore concitum, per vniuersum se corpus effundit, collum, pectus, brachia, membra omnia, arrosu crebriore depascitur & ex fugit, sic vt experrectus, totum sibi corpus, qua maculosum, qua tumens, qua præmorsum deprehenderit. At neque apud quemquam, vel verbo questus est, vel ne in posterum id facerent monuit, vel cuiquam vmquam id dixit, quòd aliquam molestiam parere posset, in id semper intentus, vt alios omnes veneretur ex animo, & iuxta Apostoli monitum, *cum omni humilitate & mansuetudine, Ephes. 4. cum patientia supportaret alios in caritate, sollicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* O, inquis, rara patientiæ magna documenta! Equidem permagna ista sunt, & omni imitatione dignissima. Sed audi quem præterea magis mireris animum. Hæc ille patiebatur, & se aliquid pati nesciebat: ad eam venerat mentis celsitatem, vt ista grauissima pro nihilo duceret, putaretque sibi, quasi homini cui omnia secundis votis affluerent, timendum esse, ne mercedis nihil in cælis esset afferuatum. Scribit enim, aliquando valde anxium animi se fuisse, cum sacris & diuinis eloquijs toties repeti videret: non nisi per aduersa multa aditum ad cælestia patere, sibi verò nihil aduersi contingere; & neque sic, satis ex animo extimescere se posse. Hanc autem animi fluctuationem, cum Ioanni viro sancto, & magni Barfanuphijs discipulo, per literas exposuisset, eum respondiisse, necessario fieri vt quietissimi, pacatissimi, iucundissimi sint, quicumque in Patrum se obedientiam sincera mente dediderunt. Sed hæc postrema alterius loci sunt. illud verò quantum est, vt tot annos, tam crebrò & grauitè, tot conuicijs & iniurijs, tanta sua patientia diuexatus, nihil se pati credat, cæloque se indignum pronuncians, id sibi dicat, quod Magnus ille Basilius ignauis; *Quæ ratione qui in voluptate magis, quam in Dei mandatis, in honore, & rerum copia, quam in ignominia & inopia, vitam agere maluerimus, vitæ beatitudinem, & aequala cum sanctis, in cælesti republica ius municipiumue, & cum angelis inenarrabilem leticiam, ante Christi conspectum nobis pollicemur? Prorsus amentium est, talia secum comminisci. Quomodo enim vnâ cum Iob potero ego collocari, qui aduersum nullum casum, quamuis leuissimum, cum gratulatione susceperim? Quomodo cum Dauid, qui lenitatem aduersus hostem non adhibuerim? Quomodo cum Daniële, qui non per abstinentiam continentem, & sedulam præ-*

catio-

cationem Deum exquisuerim? Quomodo cum Sanctis singulis, qui illorum vestigia secutus non fuerim? Quis quæso ludorum gymniorum arbiter, ad eum nullo est iudicio, qui coronis paribus censeat oportere dignari, tam eos qui victores è certamine euaserint, quam eos qui nullum certandi laborem subire voluerint? Quis vniquam exercitus ductor, in præda partem æquam cum victoribus eos aduocauit, qui nusquam in prælio comparuerant? At enim bonus est Deus, at idem etiam est iustus: iustitie porro proprium est vt suum cuique reddatur. Ita quidem Basilius, ita ex humilitate sibi dicebat Dorotheus; nos verò nobis ex veritate dicamus; videamusque an tot exemplis, monitis, præceptionibus & legibus incitati, contemptores nostri animos, & crucis ac ignominie amantes, vel sic aliquando tandem, seridè induere, ac inolito splendoris atque commodorum amore radicatus euulso, vitam nouam, ex verè religioso spiritu, constanter & fortiter aggredi contendamus.

C A P V T IX.

Prænotanda quædam ad progressum in humilitate tentandum.

epist. 59.

Verissimè omnino scripsit D. Augustinus: *Fit miris modis in anima hominis, vt de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius superbiat: sibi enim de virtutis adscitæ opinione, quam de alterius rei splendore, iustius gloriari posse dum putat, & omni humilitate excidit, & quantum in ipso est, virtute præstantissima turpissimè ad vitium abutitur. Ita sanè est, ac nihilominus perfacile ipsi nobis imponimus, & amore nostri blandissimè illecti, nostra dissimulamur mala, & bona multa nobis inesse, vel tenuissima suadente coniectura credimus. id verò longè verissimum experimur, in eis virtutibus quæ sunt admodum arduæ, plurimumque commendationis habent; vbi si quid illis affine, si quid inchoatum semel ausi fuerimus, protinus in maius omnia extollimus, iam Hierichuntinos prostrauisse muros, iam hostes debellasse, iam victoriæ vix vlla parte quæ sita, triumphare nos credimus. Et quidem, huic nostræ adulatrici naturæ accedit præcipitator Satan, eodem vehementer impellens, tum vt ipsa securitate torpeamus, ac mendacio falsè extollamur, tum verò vt neque dispositas caueamus insidias, neque inquirendæ atque acquirendæ virtutis absolutioni incumbamus: scit enim in virtutibus & virtijs latere permulta, quæ oculos minus curiosos minusque intentos fugiant.*

Hicigitur mihi quædam ponenda credidi, quibus veluti lapide Lydio explorare possimus, quis in nobis crucis & contumeliarum, rerumque aduersarum perferendarum amor vigeat. Et quidem cum illum omnem à Iesu Christi Domini nostri imitatione arcessamus, clarè patet, ex propiore & similiore, remotiore

motiore & dissimiliore ad eum accessu, rem hanc totam esse iudicandam. quippe imaginis illa est vera perfectio, si prototypo & exemplari suo quam simillima, ac propemodum alterum idem fuerit; illa verò maxima est eius deformitas, si quam maximè ab exemplari recesserit: neque pictorum quisquam sic desipit, vt Paridem Therisitæ instar deformem, vel Therisiten Paridis formositate depingat. Quare vt aptè vereque iudicetur, duo sunt præstanda, primò; quidem attentissimè circumspiciendum est exemplar, ita vt probissimè sit notum, vel saltem pars ea quæ est imitationi proposita; tum verò ad imaginem accedendum, vt quàm bellè illud vndique referat exploretur. Ergo ad vtrumque accingamur.

Sed antequam in hæc adyta penetrare pergamus, observandum necessariò nobis est id quod admodum prouidè, summaque consideratione, tribus modis humilitatis proximè præposuit, & diligenter perpendendum commendauit B. Ignatius: Eos nempe qui meliora & perfectiora mente complectuntur, in tres quasi classes distributos censerit: vnde sit consequens, vt, quemadmodum ciuium quemque suam classem, suum censum nosse conuenit, vt pro facultatum modulo, sumtum & conatum sit modus, vel quod negat copia, compenset indultia; ita etiam animi sui præsentis vires quodammodo exploret quisque, non tam vt aggressionum sibi præfigat modum, quàm vt ab inferioribus ad præstantiora se transferat, & cum omnia in voluntatis potestate sint sita, ex vna spiritus egentiore classe, ad opulentiorē aliam fortiter transeat.

Tres autem omnino sunt classes eorum, qui à letalis peccati dominatu, in libertatem filiorum Dei per sancti Spiritus gratiam asserti sunt. Prima est eorum, qui, seu in sito ignauitæ torpore fracti, seu innata circuitionis dilatione sopiti, seu otiosa lentitudine deiecti, seu cuiuspiam non ita bonæ rei consuetudine vel amore deuincti, multa quidem meliora vident & probant, sed ad ea perficienda non assurgunt: illorum similes de quibus quidam dixit; Athenienses, bona quidem sciunt, sed facere nolunt. Cuiusmodi sanè non paucos, quæ humani generis est infelicitas, passim reperias, siue toto in genere vitæ, cum semper iisdem moribus, eodem sese in luto volutant; siue in quadam tantum suarum affectionum parte, cum iisdem semper perturbationibus obnoxij viuunt, neque vquam seriò constanterque, ijs funditus euellendis operam nauant.

Alterà classis eorum est, qui hanc tantam lentitudinem supergressi, conantur quidem varijs & serijs modis, plus in perfectione promouere, vitamque multis sanctis operibus, animum præclaris exornare virtutibus: at transuersus aliquis amor imo in pectore delitet, quo nequit exui, quem fouet, quem labefactari, vulnerari, euelli non patitur, malum suum dissimulat, medicas manus respuit, si vel leuissimè tangas, non secùs auersatur & resilit, ac solet tumore dissentus, & arthritidis dolore vrens nervus. Magnum sanè, & admodum detrimens malum, quodque instar fellis venenati, imo in dolio sidentis, omnemque qui-

R

cumque

cumque superfluous fuerit liquorem corrumpentis, cetera bona omnia, si non perdit, certe vehementer inficit, iustaque perfectionis maturitate arcet: ac propterea rarus est perfectus, quia rarus planè est, qui iudicij amorisque alicuius vitiosum aliquid, latente in sinu non recondat. Hic scientiæ, ille opinionis, alius commodorum, existimationis alius, cognationis, valetudinis, negotij, otij, personarum, rerum, locorum, vel denique sui ipsius, prouisor, osor, amator nimius fuerit: & quàm multi in homine, furtim irrepenes in latent affectus? Illumina ergo Domine oculos meos, ne soli oculi tui Domine, sed & mei imperfectum meum videant: manus tua auxilietur mihi, & brachium tuum confortet me, ut dirigas in conspectu tuo viam meam, & in illuminatione vultus tui dispellantur tenebræ meæ.

Hac diuina iuuante gratia, in tertiam eorum classem transcribemur qui omnem omnino insincera affectum exuunt, nec tantum rerum aliarum, sed sui quoque ipsius amore, ad sanctissimam diuinæ voluntatis normam composito, nihil nisi è diuinis placitis, aut volunt, aut nolunt, & quocumque diuini spiritus eos aura cõpulerit, eò toti feruntur: non labori parcunt, nõ formidant aduersa, nullius rei retardantur in cursu, quin quod melius & perfectius iudicant, id etiam pro virili perficere conentur, nulla cuiusquam alterius quàm diuini honoris, & maioris sanctimonie ratione habita. Horum ubi maius momentum, aliquam in partem potius incumbere viderint, eò protinus omnes animi corporisque vires magna cum alacritate conferunt. In hac omnino classe illum censeri oportet, qui ex his quæ dicturi sumus, vtilitatem aliquam capere velit, ut non sola quadam cognitione otiosa se oblectet, sed forti & ad perfectionem flagranti animo, quodcumque præstantius esse iudicauerit, id omnino efficere conetur, omnesque reluctantis & aduersantis naturæ declinationes euincat.

CAPVT X.

Quàm præstans exemplar, & ad quam imitationem sit nobis propositum.

SI quando in rebus ijs quæ natura constant, aliqua illarum nobis est ad imitandum proposita, ut si quis orator Ciceronem, Imperator Cæsarem, Eremiticola S. Antonium, Religiosus S. Dominicum, Franciscum, Ignatium exprimere moribus tentat: duæ sunt eiusce rei partes obseruandæ, vna quæ sit illi intima & propria est, ut neque sine illa esse, & nusquam aliò traduci queat, ideoque non ea sit quæ imitatione quærat; cuiusmodi est in ijs quos proximè nominavi, quod homines, quod ea corporis & animi conditione, eiusmodi in republica, eo in sæculo nati essent, atque hæc nemo est qui ad se traducere conetur. Alia
ergo

ergo quæpiam rei conditio seu pars est, quæ non ad eò intima & propria, non etiam forinsecus, aut causarum externarum efficientia, aut diuinæ sapientiæ prouidentia, ita peculiariter insita est, vt ad eam nec industria, nec humanus vllus conatus adhibendus fuerit: sed est quasi aduentitium, aut additium quiddam, quod in alios transmitti & traheri, pulcreque possit exprimi, atque adhibita obseruatione comparari, vt mores, vt virtutes, & quidam in agendo & viuendo modus, ad alicuius normam imitando effectus. etenim vt nemo pictor, carniū, ossium, neruorum, & corporis naturam exhibet, sed figuram, colorem, situm, pulcritudinem, vel deformitatem, idque solum quod se foras in oculos eūibrat, colorum similitudine referre contendit, neque est qui iure possit abs eo plura postulare, cum arti pictoriæ nullus alius sit propositus finis: ita imitationi nostræ, qua cuiusdam alterius virtutem æmulamur, nihil, quò contendamus, obijcere nos conuenit, præter eam quæ foras erumpit, animi quasi figuram, colorem, modum, pulcritudinem, ac eiusmodi venustatem, vt eam, si non vsque ad eò perfecte comparare, at aliquoulsque consequi & quodammodo repræsentare possimus. Sed est nobis hoc ipsum distinctius in exemplari nostro videndum.

Est profectò quod hominum animos in amorem & summam diuinæ bonitatis admirationem merito rapiat; si pro rei dignitate perpendant, æternum illud, summeque beatum, & nullius indigum Deum, sua solius clementissima voluntate decreuisse, vt hominibus, beatæ perfectæque vitæ capessendæ, idem statueretur exemplar, qui & Deus & Saluator esset. Multum nobis datum esse crederemus, si quempiam, præclaris in omnem partem dotibus, hominem nobis excitasset & instruxisset Deus; forsitan & pluris faceremus, si nobilissimum aliquem Angelum, grata quadam specie ad spectabilem, expetendarum fugiendarumque rerum doctorem magistrumque misisset: quantum igitur illud est, ò anima mea, quòd ille vitæ morumque tuorum, tibi magister, doctor, speculum, exemplar fieri voluit, qui Dei sapientia, Deus est & homo! quid enim? si magna, si perfecta valde, si sublimia, & supra tuum captum præcipit; Deus est, homo est: Deus est, qui opitulari queat; homo est, qui benignius tibi consulat, qui tenebris lumen præferat, qui infirmitati sufficiat vires; sequere præeuntem, & sequentem non deseret. Verumtamen sic eum contemplare, vt à memoria, nec Dei venerationem, nec hominis imitationem, res vlla, vllumue tempus amoueat.

Vehementer enim à tua, heu nimium sæpè nota superbia, mihi timeo, humiliorum imitationem auerfaberis, ad magnifica & speciosa conuerteris. Audi tamen & obserua quid tuus præcipit Dominus, vbi se, quibusque in rebus imitandum docet: Discite, inquit, à me quia mitis sum & humilis corde: Qui sequitur me abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me: Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: Exemplum dedi vobis, vt

R 2

quem-

quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. Domine, multa & magna fecisti, inò verò per te omnia facta sunt. & sine te factum est nihil, quod factum est: spiritu oris tui cæli firmati sunt, & omnis ornatus eorum; ergòne quæ fecisti faciendæ nobis sunt? ergòne nobis & cælum novum & terra nova condenda est, & imitatione tui ægri sanandi, mortui suscitandi, gubernandus est mundus? ablit: nam & accepimus, discipulorum aliquando à te correctam esse lætitiã, qua etiam dæmones sibi obtemperasse gaudebant, & scimus à te olim in æternum repellendos esse non paucos, qui se in nomine tuo dæmonia eiecisse, prophetasse, virtutes multas fecisse iactabunt. sed tunc sanè exemplum factus es nobis, quando discipulorum, Magister & Dominus, lauisti pedes, quando ministrare, & non ministrari venisti, quando nostram tua inopiã dirasti paupertatem, tuo nostram & æternam infamiã dedecore honestasti, mortem que nullo fine duraturam, à nostris animis, tua corporis morte repulisti; pro nobis, ò penè incredibilem caritatis affectum, hostia, peccatum, maledictum, damnatio factus es, vt à Dei iustissima ira, à peccato, maledicto, damnatione liberati, in gratiam cum offenso numine redire possemus. Ita, te volente, speculator ille tuæ gloriæ Apoitulus, non à tua tamen gloria, sed ab humilitate desumendum docuit exemplum. Si bene facientes, inquit, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebatur autem iudicanti se iniuste: qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Intelligine anima mea, quæ tibi sint vestigia; quod exemplum sequendum? patientis, ferentis, iniuste traditi, non comminantis, non se vquam, cum iustissime & facillime posset, defendentis aut vlciscentis. Et quàm prouidè, S. Petre, loqueris dum ais, Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum; numquid nõ dicere pariter potuisses, Nobis relinquens exemplum? ac homines à patiento nimis alienos fortassis prospiciens, timuisti ne qui facile pro se Christum passum falluti erant, exemplum tamen patiendi solis Apostolis, & viris Apostolicis relictum dicerent: quare dicere maluisti, *Vobis*, hoc est, non nobis tantum, sed planè diserte que & vobis, & omnibus pro quibus passus est, vt quicumque ab illius promeritis alieni esse nolant, ab eius imitanda humilitate se alienos minime præbeant. In hoc, inquis, vocati estis, omnibusne, ò sancte Apostole, omnibus Christiani tui gregis ouibus hæc loqueris? quid ergo Religiosis, quid Societatem Iesu professis? Ecce, in hoc cigitur vocati sumus, vocationem diuinam ne irritam faciamus, fratres, quem cepimus sequi crucifixum, in cruce quæramus & sequamur: quid fatigamur alibi quærentes? non in plateis Babylonis, non in auro & ostro, non in pompis & gloria, non in laudibus & honore, sed in doloribus, ignominia, opprobrio crucis est Christus; ibi est locus eius, ibi cum certo comperies, affixus clavis non effugiet, tenebis, adhæresces, amplexaberis.

Quàm

1. Pet. 2.

Quam fortiter hoc ille præstiterat, qui propter Christum stultus, infirmus, ignobilis, non nisi in Domino, in infirmitatibus, in vinculis, in periculis, in cruce Domini gloriatur. *maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Hinc addere non veretur: *Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quod cum legis, anime mi, quid legis nisi quod tuus tibi comendauit Ignatius? Voluit ille S. Apostolus stultus, infirmus, ignobilis haberi pro Christo, & hæc summa illi sapientia, fortitudo, nobilitas: maledicta, persecutiones, blasphemias, conficta in se crimina patientissime & cum gaudio pertulit; pertulit derisum, neglectum, & contumtionem sui tantam, ut instar quiliquiarum, facis & retrimenti, ne quidem hominis nomine eum ceteri compellare dignarentur: eius instar qui de se dicit, *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et nonne ipsissima hæc est conformatio, quam Beatus Pater exigit postulans, ut admittas, concupiscas, ames, & ardentem exoptes, contumelias, falsa in te testimonia, iniurias pati, stultus haberi & existimari, atque Christi Domini vestibus ob eius amorem indui? quod à te postulans, quam egregie tibi consulit, dum te ad sanctorum Apostolorum, ad Domini Dei tui, in terris olim peregrinantis imitationem vocat?

1. Cor. 4.

Psal. 21.
ex persona
Christi

CAPVT XI.

Que maximè sint que in exemplari proposito nobis exprimenda spectemus.

ET, quando te meæ memoriæ ingessisti, Beate Pater, enixè peto ut huius exemplaris formam imitandam distinctius exponas. Loquere, amantissime Pater, & aure sedula, quidquid dixeris excipiam, & re ipsa diligentius obseruare contendam: quidni enim ut præsentem audiam, quem benevolentia præsentem scio? Sed ecce intimæ mentis meæ cogitationem excitari sentio, mihi que in me ipso loquentem:

Audi, fili mi, disciplinam Patris tui, & consilium meum ne despexeris, & abundabit iustitia tua, & multitudo pacis, quasi circumambiente fluuio, circumdaberis: ridebis in nouissimis, & in die ultionis consolationem recipies, coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris: paululum quidem, dum pertranseunt dies isti pauci & mali, dolebis; at mox aderit sponsus, & gaudebis, & afflues, & dilatabitur cortuum, & gaudium tuum à te nemo tollet, quia gaudij fons & principium, Deus tuus, à te non recedet in æternum. Sed interim, ad præmia non nisi per labores perueniri potest, & nisi Domino si-

milis fueris in via, qua fronte similitudinē eius speres in patria? Dum ergo peregrinaris hīc à Domino, peregrinantis Domini formam subi: si enim oportuit pati Christum ut in suam, quanto magis te pati oportebit, ut penetres in Dei gloriam? Vide ergo ut quā proximē accedas ad Iesum, improprium crucis portans, & conformis imaginī filij Dei.

Sentio equidem, mi Pater, verbis tuis in idipsum excitor: sed cū hoc ipsum variē fieri possit, quid est potissimē & propriē, quod à me in tua Societate expressum velis? Hoc ipsum, ait Beatus, quod proximē dixi, conformitatem filij Dei: quam ut praestes contemplare illum tantum, tam multa, tali animo pertulisse, ut tu, vel pauca, simili virtute patiaris. Contemplate illum, ut in mōte Calvariae, vitæ dator, cali referator, reparator humanæ cladis, & virtutum omnium idea, est exaltatus, & vide ut dicentem illum audias, Fac secundū exemplar, quod tibi in monte monstraui. Quanta verò ibi & mundi, & honoris, & rerum omnium aspernatio elucet: Latitiae fons, in doloris mare cōmutatur; formositas, deformatur; gratia, in odiū vertitur; sapientia, illuditur; gloria, deridetur; innocentia, condēnatur; Rex omnium, negatur ab omnibus; Dominus omnium, nudus ludibrio exponitur; summa potētia, summe infirmatur; immortalis vita, acerba morte perimitur. & hæc sponte, omninoq; voluntariē patitur, non est qui, nisi velit, vim illi inferat, ponit ipse, & sic ponit animā suam, non pro se, non sui emolumentī causa, cū natura sua inscriptū femori nomen gerat, Rex regum & Dominus dominantium; sed sic ponit animā suam pro omnibus, ut vitam habeant, & abundantius habeant, ut Pastorē tam largē sua omnia effundentem, gloriam quæ ab hominibus est contemnentem, infamiam, dolores, opprobria, summa mentis æquitate subeuntē, ad mortem deniq; ignominie & cruciatuum plenissimam adeuntē, non pigeat per aduersa, per contraria quæuis sequi, viceq; in amando rependere, sui vicissim qua licuerit cōtemtione quæsitā, & si quando ultro cōtigerit, cupidē arrepta. Delicatus ille, parumq; seuerē probatus est Dei amor, qui ob secundas, vel in secundis rebus enitescit; at qui rerū, hominū iucundissimarum, ut voluptatum, diuitiarum, honoris & vitæ, iactura nihil læditur, ille est inconcussus, & verē Iesu Christo dignus amor, illa demum amari similitudo quaerenda.

Quam ut perfectius comparare possis, quod paucis perstrinxi, pluribus persequar, & tria tibi commendabo, in hoc sancte humilitatis Doctore magnopere spectanda, è quibus non ægrē tuam vel progressionem, vel in hac sancta exercitatione cessationem iudices.

Primum est, ut diligenter explores, quā perfecte ipse se ad viliora deiecerit, duriora & asperiora selegerit. Etenim cū in forma Dei, Deo æqualis & Deus esset, ipse semetipsum exinaniuit, formam serui induit, & habitu inuentus est ut homo, eiusmodi visus est oculis hominū, eiusmodi fuit, vixit, mortuus est, & resurrexit; hominē quem semel assumpsit, positurus numquam. Summus est, & procreata omnia, perfectione infinita vsque adeo excellit Deus, ut nihil sit in istis, quod

quod si cum illo contenderis, vel momenti instar habeat: homo verò in finem inter omnia quæ intellectu sunt prædita gradū obtinet, sexcentis miserijs, doloribus, & morti obnoxius, vndiq; auxiliij & opis egentissimus: cum igitur infinitam illam maiestatem, huic vilissimæ naturæ, quasi admiscere & adnectere dignatus est Deus, nonne hîc omnem humilitatis vim exhaustisse dicendus est? Mirandi finem non facerent homines, nobilissimum & potentissimum Imperatorem si intelligerent, sibi vltro vxorem eam elegisse, quæ turpis, ignobilis, pauper, sordida, denique non nisi prostibulum, & ipsius Imperatoris hostibus ludibriū, & ab eius amore profus aliena foret; eoq; mirarentur magis, si non alia eam ducendi causa foret, quàm vt suum in eam amorem propensissimum testaretur, eamq; à paupertate, sordibus, vitijs & captiuitate ereptam, diuitijs, honoribus, dignitate, variaq; felicitate cumularer. Et nonne maior ac potentior omni eiusmodi Imperatore Deus, inferior ista muliere & infelicior est humana natura, tota in peccata prolapsa? & hanc tamen non in vxorē, sed arctiore lōgē vinculo, in vnā sibi personam adiunxit Deus, vt sibi homini, similes in terris homines, sibi quoq; Deo similes in cælis aliquando reddat. Vide sine, vt in finimæ quodāmodo coniunctione naturæ, seipsum humiliavit Deus, seruus, mortalis, imbecillus, e-gēs & pauper factus, qui natura Dominus, immortalis, potens, diues & abundās erat: Quid æquale, quid vel aliquatenus simile rependes? E domino si omnium seruus fias, neq; natura dominatur homo homini, & (si seruis) homo seruis homini: Deus verò, vt sit seruus, planè singulare est, nec satis illud capimus. Quid si Dei causa, manibus pedibusq; excisis, instar captiuorū Adonibefec, in morē canis reptare, micisq; de mensa cadentibus vesci cogereris? Si Hormildē Principis, Marcelli Pontificis instar, bestiarū curandarū famulatio seminudus adscriberis: Si vt Nabuchodonosor bouina, vt Tigranes porcina specie, Deo sic volente, vestireris: & hæc lubens vt maximæ humilitatis exercitia subires, magnum (nec fortassis immeritò) putaretur, quòd ad belluas vel quasi infra belluas amandari videreris: nec est quod desiderari maius aliquid posse videatur, quàm cū homo se totū exuit, idq; quod in se præstantissimū est Dei sui amore contemnit. Verūm sit illud quantū voles, pulillū est, si cum Dei hominis copulatione componatur; hominis enim cum ceteris, quædā; at Dei cum homine, nulla comparatio iniri potest, aded vt vel Deum ad hominem accessisse, vel hominem ad Deum euectum esse, in finitæ sit & potestatis & humilitatis, vno eodemq; personæ complexu, res eas quæ in infinitum distant, arctissimè vincientis.

Iam verò cum summus amator hominū viderer, multos id nō satis pro dignitate æstimaturos, vt ardentius omnium ad se animos excitaret, eiusmodi homo factus est, à quo humanarum miseriarum nihil abesset, eandem cum omnibus nascendi, viuendi, moriendi conditionem subiuit, vltroq; in se probra, conuicia, paupertatē, dolores & asperrima omnia euocauit; honorem, gloriam, diuitias, cōmoda, & delicias omnes procul amouit. Iucundissimè Domini mei Iesu
rebus

rebus asperis memorandis immoraret, sed in infinitum sermo abiret, tu vide ut ad eas meditandas te totum conferas, & caue ne hac cogitatione ullam aliam salubriorem putes. Compendiosius quædam audi capita, ut commodè ad eius te similitudinem effingas, videasque nihil in eo fuisse, quod non dolor & humilitas occuparet. In laboribus, in paupertate, in vigilijs, sudoribus, fuga, periculis, à iuuentute sua, à primo conceptionis die, ad extremum vsque halitum, nulla interposita remissione perduravit. Immensus ille, cælosque & orbem continens, angusto Virginis utero conglobatus, nouem totos menses, volens & intelligens arctatus est: infans vagiit, ad præsepium, cum iumentis, panniculis & fasciis alligatus: indeque ad triginta ipsos annos, Dei summa sapientia delituit, summa eloquentia conticuit, summa potentia velut infirma vixit. ac deinceps, quid egit, quid passus est? Videas igitur, intellectum eius seu intelligendi facultatem, omni prorsus curiositate caruisse, texisse potius quam ostentasse scientiam; humilia, sancta, iusta, perfecta docuisse, verbis & genere doctrinæ mirabili quidem, sed humili, omnemque factum aspernante. vnde per Prophetam de se dicere voluit: *Hæc dicit Dominus, redemptor tuus, sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te virilia, gubernans te in via qua ambulas. Et ecce quàm moderati iudicij, Ego non iudico quemquam: is cui nota erant hominum omnia, ab omni sibi iudicio temperat, patienter expectat tempus, quo pater filio omne iudicium dabit, & non vult ante tempus iudicare. Iam verò voluntatem quàm perfectè subiugaram habet: ille cuius nutu omnia in cælis & terris, suo ordine voluebantur, suis gubernabantur momentis: ille in pueritia, adoleſcentia, ætate quinciam virili, femine subditur: ille de se proficitur, Nô veni voluntatem meam facere, sed eius qui misit me Patris, Cibus meus est facere voluntatem Patris mei, hinc pascor, hinc nutrior, nô alia mihi iucundior appetentia: ille ad acerbissima tormenta se comparans, non Sicut ego volo, sed sicut tu, Patri acclamat, obedientiam que ne perderet, vitam maluit perdere, obediens vsq; ad mortem & mortem crucis. Memoria verò eius, siue ea vis animi quæ res varias representandi facultate pollet, continuis ijsque acerrimis dolorum stimulis pungeretur necesse est, quandoquidem illi continuo peccata hominum immensa, acerbissima hostium odia, coniurationes & doli, ac deniq; tantorum ac talium cruciatuum aliquando futura perpeſſio, velut præsentissima obuſabatur. Sed quid si illi epilogo mirabili, totius vite catastrophen concludentem intueris: hæc quanto stupore, ad huius exemplaris intuitum cõpleberis? Videbis, ut cum prophetis loquar, à planta pedis ad verticem capitis in eo non esse sanitate: sulcis plagarum arauerunt in dorſo eius peccatores, corpore lacero cõcussa & dinumerata sunt ossa eius, præſiti sicut testa os eius exaruit, inglorius inter viros aspectus eius & forma fuit: non erat species ei neq; decor, formosum spiritus illiuerunt, regem sæculorum spinoso diademate confixerunt, opifices cali manus, duro ligno, durioribus clavis, infixerunt: nudauerunt eum vestimentis suis, totoq; die expositum linguarum verberare flagellarunt, conuiciati sunt, exprobrarunt,*

Isa. 48.

& afflictionem afflicto addentes blasphemarunt: quasi leprosum à Deo, & humiliatum eum putauerunt, despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & experientem infirmitatum, vnde nullo eum in pretio habentes, quasi nihil eum reputauerunt. Verè autem languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, liuore ipsius sanati sumus, dedecore gloriamur, morte viuimus. In his autem agnosces, nihil in sanctissimo Domino Iesu, doloris & humilitatis vacuum fuisse, membra singula, singuli sensus, quod propriè & singulariter paterentur habuerunt, neque vniquam vel summæ acerbitati contemptus, vel lignominiosa contemtionis comes defuit acerbitas. Impiorum enim aduersus Dominum sic exarsit impietas, vt torquere parum esset, nisi honoris & innocentie famam fictis etiam criminibus scdare niterentur: calumniati ergo sunt; vini potorem, publicanorum amatorem, legis inimicum, Sabbati violatorem, schismaticum, Samaritanum, dæmoniacum, seditiosum, blasphemum, gloriæ suæ ambitiosum præconem, mendacemque diuinitatis affectatorem dixerunt: adeò vt diuinæ humanæque maiestatis, grauissimorumque flagitiorum reum fingerent, ac vt talem & communi omnium execratione deuorum, ab omnibus destitutum, patrocinate nemine, vniuerso aduersus illum populo succlamante, legis peritis, sacerdotibus, & principibus in eum vno animo conspirantibus, sententia publica, & solenni ritu, concurrente ad rei spectaculum infinita populi corona, infami ligno, Regem gloriæ dirè affigerent. Et hæc, non tantum perfers, sed honoratioribus & lenioribus præfers, bone Iesu! ô patientiæ, & humilitatis pelagus inexhaustum!

Ista verò cum sedulo perpenderis, eritne vniquam, vt aliquid illo dignum te redhostire potuisse credas: opes omnes illius causa si contemferis, calumniam aduersus honorem si pertuleris, voluntatem iudiciumque tuum alteri si tradideris, post acerbissimos sensuum omnium & membrorum dolores, si acerbioris morte in eius gratiam occubueris, te fateor equidem tanta eius dignatione felicem: ad illa tamen quæ pro seruo subiuit Dominus, si te referas, quàm exiguum, & nullius pretij est? ille etenim verè solus diues, Angelorum satellitio seposito, solus, nudus, in cruce moritur: criminationibus, & aliena inuidia oppressus, latrones inter, vt infamis necatur: seductor, seditiosus, insipiens creditur, & fatisciente doloribus corpore, insultantibus, & nil nisi conuicia ingeminantibus inimicis, ac terribilibus laniantium luporum oculis, tristi in spectaculo mansuetus agnus occumbit. ô sæculorum stuporem! ô sibi, & asperrando mundo, stimulos acres! ô magnam quibusuis in casibus, homini Christiano impositam patientiæ necessitatem! eritne vnde iure possis conqueri, quando tacitus, tanta animi æquitate, tam dira perfert Deus?

Quem tamen (quod secundo loco commendatum volebam) contemplari conuenit, tanta ista malorum omnium incurfione circumuallatum, summa suæ voluntatis propensione, æternique consilii quàm maximè voluntaria de-

stinatione, sic potius, quam blandiore, vel honoratiore conditione, vitam & mortem sibi elegisse, licet alia omnia ipse sibi sumere, pro summo suo, quo rebus omnibus praesideret, iure potuisset. Etenim non solum quaecumque voluit, fecit in caelo & in terra, nec est qui eius possit vel voluntati repugnare, vel potentiae obistere: sed neque in eo quod semel decreuerit agendo, operosius insudat, neque vlla ex rebus procreatis compendia emendicat, neque iacturam alicunde quampiam patitur, ut suspicando possimus coniectare, ideo viam aliquam negotijs perficiendis electam, quia facilior, utilior, certior videbatur: verbo enim & iussu facit omnia, ab ipso ut perenni fonte bona omnia diinant, mala omnia longe longius atcentur. Poterat igitur, ita si placuisset, ipse se diuitijs, honore, pompa, commodis ac maiestate decorare. Poterat, nullo negotio, sibi corpus pariter atque Adamo perfectum formare, vitatisque conceptionis & aetatis incommodis, ab ipsis caelis coruscante, & ad venturi expectationem mentes hominum suspendente luce, ad spectabili forma, sese omnibus adorandum, circumdante innumera angelorum phalange, medio splendentium nubium in fulgore praebere. Acclamatum illi esset ab omnibus, Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis, Rex omnium & summe Deus descende de nube, in terris, inter homines versari, o Dei summi sapientia summa digneris. Nonne & tunc potuisset, quas inde libuisset, attonito mundo dictare leges, Principes eligere, magistratus creare, sacerdotes & Pontifices sacrare, stabilire Ecclesiam, Iudaeos cum Gentibus vna concordiae pace sociare? vel, si diutius hominum consortio vti maluisset, sibi sola voluntate palatium condere, luce perpetua coruscum, smaragdus, pyropis, adamante, gemmis, auro, quin & stellis, varie distinctum, ministris angelis, stupentibus ad reinouitatem vniuersis, indeque quasi a certissimo veritatis & maiestatis oraculo, ex orbe toto responsa & iura poscentibus reddere. Sed ista cuncta, cum in eius essent potestate, humilitatis magister auersatus est. Quid autem: cum alia omnia maluisset, annon saltem videtur tibi debuisset modum arumnis ponere? pronum erat, vel Herodem, quando ad illum missus est, vel Pilatum ad misericordiam flectere, vel sibi totius populi voluntates, recenti Lazari ad vitam reuocatione propitias adiungere, vel denique, aut militum, aliorumque cogitatum a flagellatione, coronatione, irrisu, cauillationibus, totque diris cruciatibus inferendis auertere, aut mœroris & doloris sensum, letitiae maioris immisso, ac laudandi vi sublata temperare, vel tollere. Verum quid opus pluribus? nonne in mundum volens venerat, ut egenam, afflictam, dolore, labore, mœrore omni exercitam vitam, turpissima, maximèque dolorifica morte concluderet? nonne omne id quod euenturum erat praesciens, obuius processit? quis nolentem potuisset tenere, vincire, damnare? calicem illum ardentissimè sitiebat, baptisino baptizari cupiebat, & amoris excessum Hierosolymis completere ardebat, tanto ad currendam hanc viam exultans gaudio, ut mœrore depulso, exiliens

pra

præ alacritate sanguis per tenuissimos etiam sudoris meatus, ingenti copia fluxerit: inde verò protinus proditori occurrens, verbo prostrauit inermis armatos, nec priùs innexa sunt vincula quàm sui vincendi, horam tenebrarum venisse pronuncians, potestatem fecisset. Verè Christus Dominus, quia voluit captus est, quia voluit oblatas est, quia voluit passus & mortuus est: quod nisi voluisset, mille viæ suppetebant, quibus & se tot malorum acerbitati subducere, & gloriam suam stabilire, & humanum genus reparare potuisset. At omnes mundi blanditias honoresque desprenit, humilitate & dolore cumulata vitam tanta constantis animi destinatione selegit, vt eum ab incepto curriculo, nec infamia, nec longa fatigatio, nec in summis cruciatibus exprobrantium irramenta reuocarint. Quid si tibi à tuis quæ forsitan incurrant, te incommodis eripiendi, par esset data potestas? amabò, qui te gereres? si famem explere, sitim sedare, dolores mitigare, reparare vires, sanare morbos, conciliare famam, vias complanare, serenum aut nubes inducere, gelu soluere, negotia pro voto peragere, denique si id quodcumque velles, ac prout velles, conficere daretur, quid? illa quæ subinde dicis, & plangis incommoda, illa quæ reformidas & declinas aduersa, longumne patereris? Sed mihi nunc indicasse satis est, tuum de te tibi esto iudicium.

Ad id quod tertio loco commendatum volebam venio: vt Dominum tuum ea tam multa, tanta voluntatis alacritate subijsse, imò selegisse perpendas, quem in finem? nempe amplificandæ diuinæ gloriæ, & humani generis ab æterna damnatione liberandi. Venit enim fons lucis & vitæ, ijs qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, lucem & vitam illaturus: venit, & in hoc natus est, vt testimonium perhiberet veritati, & qui credunt in eam, etiamsi mortui fuerint, viuant, & non moriantur in æternum: etenim vt de se ipse dixit, est resurrectio, est vita, imò hæc est vita æterna, vt cognoscant homines Patrem, solum Deum verum, & quem misit Iesum Christum. Cùm igitur in hunc finem venisset, vt dominantem in terris demonem, idololatriam, auaritiam, luxuriam, superbiam, inueteratum falsorum Deorum cultum, omneque impietatis, mendaciorum, vitiorum genus, peruerusta longorum sæculorum auctoritate roboratum debellarer; paupertatis verò amorem, castitatem, humilitatem, præsentium & blandientium rerum contentum, absentium & æternarum desiderium, verarum virtutum, nulla vanæ laudis mercede quæsita, ardentem amorem, vniuersi & veri Dei, supremi omnium Domini Iesu Christi, cultum, in quo solo vera pietas & vera religio est, vbique stabiliret, Iudæorum legem antiquaret, Ethnicorum commentitias fabulas euerteret, mundumque totum nouis legibus, nouis placitis, dæmone, carne, luxu, principibus & magnatibus sæuum infrementibus, nouam in faciem reformaret. En ad hæc

Iean. 7.

Cap. 29.

tam multa, tamque ardua perficienda, quam præ multis aliis, plurimæ enim (vt dixi) præstò erant, amavit viam? Eam sanè quam prima specie, & hominum iudicio æstimantibus, omnino vt ineptissimam repudiassemus. Quid enim fratres eius loquebantur? *Transi hinc, & vade in Iudæam.* Nemo quippe in occulto quid facit, & querit ipse in palam esse? Quid hoc monstri, quid in verbis & factis inconsequentia? inquirunt: te videris vt magnum aliquem ostentare velle mundo, te ad restaurandum regnum Israel venisse iactas, & humilitatem prædicas, & conuentus celebriores fugis, & si quid præclarior feceris, silentio inuoluis; vbi maiestas, vbi satellitium, vbi qui pro te pugnent ministri, cur etiam rapturos & in regem euecturos fallis, & abiconderis? Hoc, scilicet, timido, posticis sannis obnoxio, lucis hominum fugitante duce, de Romanis triumphabit gens nostra, subiugatum imperio premet orbem, nationes victa tributa dabunt, nocte dieque patentibus Solymorum portis, aurum, & rus, & gemmæ, & regnorum omnium diuitiæ inferentur? An percuties terram virga oris tui, & spiritu labiorum tuorum interficies impium? An leuabis signum in nationes, & congregabis profugos Israel, & dispersos Iuda colliges à quatuor plagis terræ? An desolabis Ægyptum, percuties eam, & eris via residuo in Assyriis populo, vt Mose duce via parui reduci ex Ægypto? capiemusne qui nos ceperunt, & subiiciemus exactores nostros? Numquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit, vt tu derepente nos liberes; & graue iugum à populi ceruicibus amoueas? Erunt, videlicet, Reges nutricii tui, & reginæ nutrices tuæ; vultuque in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, qui omnium egētissimus, tot annos incassum sudans, tuorum animos popularium necdum tibi adiungere potuisti? Hæc & similia, voluebant Iudæi, & animo hærebant, & denique post multa vltro citroque disputata, tanta, tamque inexpectata humilitate sic offensi sunt, vt se abs illo peruicacissima obstinatione subdlexerint, illudque quod tantò antè prædixerat Isaias, miraculum grande & stupendum quod populo admirationem faceret accidit, vt periret sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium absconderetur: fuit enim crux Domini mei Iesu Christi, scandalum Iudæis, stultitia Gentibus, quæ tamen Dei virtus est, sapientia, & gloria, absitque vt in re quapiam iustiùs, quàm in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriemur. Sed hoc permirum, quòd infinite lucido, & omnia prouidente sapientia oculo, id clarissimè vidit Deus, fore vt ea vitæ & crucis humilitate offenderentur plurimi, & rem humana ratione metiendo, ex eo videretur hominum salus retardari, quod ad eam promouendam selegebatur; & nihilominus hanc ipsam, & nullam aliam voluit, ad eundem gloriæ sempiternæ viam sternere. Quis prudens, inquirunt homines, res consequendo finit maximè aduersas voluntarius elegit? & numquid in cruce hoc animaduertit & auersatur sæculi prudentia? quid enim? venit Christus vt cre-

credatur, suamque stabiliat auctoritatem, cur igitur damnatur vt nocens? Deus immortalis, nulli malo obnoxius, potens omnium haberi vult; cur ergo moritur, cur tam multa patitur, vinciri, ligari vult, velut infirmus & imbecillus? sapientem, innocentem, gloriosum, boni omnis fontem agnosci se exoptat, cur ergo veluti fatuus desperti, velut reus damnari, probrolo mortis generi addici, malis & miseris omnigenis vndique opprimi voluit? Bona sua quæ omnibus aded innotescere, certa que fide credi vult, cur sollicitè & quasi anxie contegit? credi vult ex virgine prognatus, cur eius virginitatem, Iosephi matrimonio celat? Deus haberi vult, cur infans vagit, cur iam grandior esurit, sitit, dormit, lacrymatur, fatigatur, emoritur? cur specie ceteris similem, re ipsa in omnibus similem non credent? Rationes equidem, & mysticæ admodum, plurimæ non desunt, & his contemplandis beatæ mentes plurimum oblectantur: sed ad id quod te nunc doceo vnâ accipe, penitusque imis in medullis reconde. Dicit apud Prophetam Dominus: *Non enim cogitationes meæ, 1/a. 55. cogitationes vestræ; nec via vestra, via mea. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exalta- ta sunt via mea à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Viam faciam in mari equis meis, in luto aquarum multarum: verbum quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed quacumque & quomodocumque volui faciet, & prospera- bitur in his, ad quæ misi illud.* Ecce enim, nihil est quod impotentius ament, magis que stabilire conentur homines quàm consilia & prudentiam suam; igitur voluit Deus omnem intellectum sese extollentem deiicere, vt si quis inter eos sapiens esset, stultus fieret vt esset sapiens. Sapientia enim huius mundi, stulti- tia est apud Deum; & in infirmitate, timore ac tremore, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, Christi prædicatio, & cælestis doctrinæ curanda erat assensio. Nos stulti propter Christum, insignis ait prædicator, nos infirmi, nos ignobiles; maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustine- mus; blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsa vsque adhuc. Sed videte vocationem Dei, fra- tres, quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mû- di elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemtrabilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non gloriatur omnis caro in conspectu eius, sed qui gloriatur, in Domino gloriatur; nec etiam con- cidat animo quisquam, sperent in Domino qui sunt imbecilles, & mutabunt fortitudinem, & induentur virtute ex alto, & cadent à latere eorum mille, & à dextris decem millia. Itaque singulari Dei virtute mors Christi, nobis vita fuit; maledicta, in benedictionem; infamia, in gloriam; paupertas, in diuitias; dolores, in solatium; infirmitas, in robur immutata est: vulneribus sanamur, sanguine lauamur & dealbamur, soluimur vinculis, luctu dolorem pellimus, inebriamur siti, nuditate vestimur, emisso spiritu spiritum vitalem haurimus, totque malorum in cruce colluies, fit nobis bonorum omnium cornu copiar

caelitus abundans. Verè hæc est Dei sapientia, quam prædestinavit Deus ante sæcula, quæ abscondita est in mysterio, quam nemo principum huius sæculi cognovit, nobis autem reuelavit Deus per spiritum. Hæc igitur, fili, noctu diuque attentè cogita, & agnosce

In ijs quæ ad æternitatem, verarum virtutum insitionem, animorum salutem, veramque summi Dei gloriam faciunt, non esse humanis artibus, humana prudentia nitendum, sed necessariam occultiozem quamdam vim diuinam, quæ virtutum semina cordibus inspergat & foueat, ac ea quæ benè cœpta fuerint ad optandum exitum perducatur. Hæc autem vis, fortis alitrixque cœptorum, ijs actionibus & hominibus sese amat inferere, qui neque humana sectantur, & gloriam opinionemque contemnunt, & magno pacatoque animo ignominiosa & acerba multa patiuntur. A te igitur, tolle sapientiam; prudentiam tuam, vt sic dicam, infatua, vulgi opiniones amoue, sectare humilia, crucifixi imaginem imitando exprime, & quàm immensus in cruce lateat thesaurus intelliges. Aliena sunt hæc à sensibus, non capit hanc doctrinam superbae mentis homo, nec in præfidenti corde radices potest agere: tu verò tibi hæc sedulus recondas, & curiosius intende, quò te perfectionis euehant. Sic enim omnem ad hominum iudicia respectandi curam euellēs; qua apud homines auctoritate, qua opinione polleas, de te quid dicatur aut feratur, doctus, probus, comis, indoctus, malignus, asper, intractabilis, aut aliud quiduis habearis, ne quidem cogitatione dignaberis. Vbicumque ex ratione, qua tam pro ingenij modulo rector videbatur, aliquid peregeris, euentum pacatus expectabis, nec secundo efferendus, nec contrahendus aduerso. Nullius amorem, quouis nomine, ambies; nullius odium extimebis, vt qui Domini tui exemplo, probra potiùs ab omnibus, quàm vel ab vno laudem expetas, omnes tamen in illo amans, omnibus apud illum bona impetrans; illis verò maximè, à quibus naturà magis abhorrebis, qui tibi aliquando duriores molestioresue fuerint, qui tuis conatis obstiterint, de te senserint detertus, & à quibus quidpiam profectum fuerit voluntati tuæ obstans. Hic te vince, fili mi, aduersis eorum tritare, gaude prosperis, qua potes & supra quàm potes eos tuere, bene illis faciendi occasionem lætus arripe, impendere, & superimpendere: mali omnis illati tam procul memoriam ablegato, vt illis potiùs, ob illata verè beneficia, beneuolentiozem te esse debere credas. O dignam, quin & necessariam Religioso virtutem! vt ne tibi delit, curato: si non defuerit, crede mihi, à mansueto Iesu, multa gratiæ dona mansuetus referes, multa tua vitia dissimulabit clemens, quando clementer aliena dissimulas. Vtinam filij mei omnes caperent, quàm sibi utilis, quàm grata Domino Iesu sit hæc virtus! vtinam, & ad eam totis viribus tenderent, & ne quid vniquam vilo retaliandi affectu statuunt, summopere cauerent: certè vbi Religiosus animus in vindictæ cupidinem semel exaruit,

per-

perijt. Sed quamuis numquam fatis commendatum, sit tamen hac dere fatis dictum.

Præterea, si crucem, vt dixi, contemplaris, latere, nescire & nesciri amabis, omniq̄ue in omnes inuidencia carebis, alienis profectibus gaudebis, honoratiora, iucundiora, sensui gratiora omnia ceteris concedes, ijsq̄ue declinatis sola crucis asperitate lataberis; in eaq̄ue illa omnia, quæ variè per res plures dispersa sunt bona, in vnum congregata comperies.

Disces etiam nihil esse vel vt imperetur expetendum, vel ne imperetur prouidendum, sed potiùs id verè expedire, vt agnoscant mortales nihil se de rebus futuris posse decernere, nescire quid benè vel malè, sibi aut alijs, propitio vel irato Deo sit cessurum: omnia in futurum seruantur incerta: vnde magna rerum emolumenta sperant, inde præter spem omnia subito corruunt; quod inutile, otiosum, infrugiferum videbatur, illud est quod adspirante Deo, nimium quantum utilitatis parturit. Et sanè fructuum spiritus, mali sunt aestimatores homines: diuino sunt iudicio committendi: non venit regnum Dei cum obseruatione, sed quemadmodum si iaciat homo sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet & incresecat, dum nescit ille. In hoc est verum verbum, inquebat Dominus Apostolis, quòd alius est qui seminat, & alius qui meret, Vos in aliorum labores introistis. sed quorum, nisi Prophetarum, nisi Domini Iesu, labores & sudores messuerunt? Hoc igitur ab exemplari tuo exprime, ne fragaris aduersis, ne vel applausu præsentis tibi blandiaris, vel existimata sterilitate terrearis. Dominus tuus ingenti acclamantis populi concursu Solymam ingrediens, vt vidit ciuitatem fleuit, Ierusalem, Ierusalem, (dolenter questus est) quoties volui congregare filios tuos, & noluisti! Ah! si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua! Quid ergo? nonne congregati sunt, tanta conspiratione concurrentes? nonne cognouerunt, tanta vociferatione clamantes, Osanna in excelsis, Osanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini: Norat Dominus, quid esset in homine, & quàm in extima superficie expictus amor mox esset expungendus, ac pertinacissimo inuidencia clamore, crucem ei postulaturi, blasphemis & conuiciis essent oneraturi: norat triumphante illo ingressu iritandos, adeoq̄ue extrema tentaturos hostes suos, futurumq̄ue vt eum tanto turpiore & duriore morte perdere conarentur: ideoq̄ue omnem illum concursum parui duxit: at ex morte sua, quamuis noti amiciq̄ue fugissent, quamuis horrore, execrationi esset omnibus, quamuis iam causa eius desperata, & quasi impij damnata videretur, sciebat vitam resurrecturam, trahenda ad se omnia, causam iudiciumq̄ue se recepturum, & à ligno regnaturum Deum, Gentes in hereditatem, in possessionem terminos terræ acquisiturum.

Memineris igitur, omnem omnium calitum gloriam, non tam actione, quàm perpeffione, contemtionem, probis à moriente Domino esse cõparatam,

qua-

quare patientia, humilitate, tuique contemptu nihil unquam vtilius esse credideris: quæ cum vix ullibi deesse possint, fac ut ubique in eis te exerceas.

Denique id præ omnibus mordicus tene, ut ne res tuas humana ratione metiaris, humana providentia, opinione, arte, iudicio regi velis: nec ea sola probes, quorum vides progressiones proposito, fini consentaneas; nec ea improbes, quorum sic agendorum rationem nullam, nisi potius repugnantem videas: te & tua, tuosque, Deo semel tradidisti, omnem illi curam relinque, supereminens est caritas eius, & potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, illique si confisus fueris, omnia semper cooperabuntur in bonum: consilia tua, prudentiam tuam, benè tibi fuerit si semper euerat Deus, ut non tuis artibus, non hominibus, sed solo Domino Deo tuo præfidere consuescas.

Brevi ecce summa, tibi commendo, Recede à iudicijs hominum, auctoritatem tuam numquam statuere affectes, à divina providentia totus pendeas, ea magis dilige quæ sunt humilitatis mortificationisque maioris: in secundis, time ut fideliter Deo seruias; in aduersis, latere tanta dignatione, quòd particeps diuinæ crucis esse possis, omnemque crucem ardente desiderio exoptes, occurrentem lætus amplexare, eamque velut sponsam carissimam tene, neque unquam nisi Domino iubente dimitte. Hæc, si summa voluntate, si ad extremum usque, si difficillimis in rebus præstiteris, tum sanè Religiosi nomine non indignum te præbebis, eoque potissimè modo quem exigo, Iesu Christi crucifixi imaginem, amanda humilitate, & nullis aduersus eam argumentis audiendis, expresseris.

C A P V T XII.

Quàm conformes exemplari proposito sumus.

FOrmam exemplaris, nostræ imitationi expositi, audiisti modò, frater carissime, cumque iam olim ad illud imitandum sis accinctus, cohortatione mea nihil est opus; sed, quod initio præmonui, illa ponenda sunt, è quibus quàm propè vel procul absumus, conijcere non ex incerto possimus. Possent equidem humilitatis effectus & indicia percensendo, multa variè conglobare, & non pauca nec breuissimè peti possunt è secundo tomo P. Alvarez de Paz, ubi de humilitate & eius indicijs agit. At scopus mihi alius est, & ad usum propius collimare cupio, suggerat, precor, B. Patre Ignatio exorante Deo, quæ nostro aptissima sint instituto, & quæ mentis oculos quàm clarissimè aperiant. Sic tamen habeto, mi frater, hinc vel maximè, à te vno mihi esse recedendum, ac ea esse scribenda, quæ siue contingant, siue non contingant, in hominum tamen co-
gita-

gitationem cadere possint. Atque vt vnicuique de se liberum sit iudicare, solas interrogationes adhibebo, è quibus quid de se quisque sentiat fuso omni & adulatione posita, statuendum erit. ordinem eum obseruare conabor, quem antea in perstringenda Christi Domini humilitate seruauit: sic tamen vt vnumquodque in eam referatur classem vbi magis pater, non autem vnde remotius exoritur; cum enim ex humilitatis & amoris crucis defectu, hæc omnia nascantur, essent hæc ad vnum intellectum, voluntatēve referenda, quod minus commodè, minus ad obseruationem aptè fieret.

*Ad quem humilitatis gradum peruenisse nos, ex Intellectus
nostri operatione iudicare possimus?*

An opinionem & iudicium meum ita contineo, vt aliis cedere sim paratus, illa non sequar, nec ad illa quæ ipsemet statui quempiam alliciam, nisi diuini honoris impellente ratione? quod est secundi tantum humilitatis gradus. Huius autem rei (quod & alijs omnibus interrogatis commune esse debet) coniecturam, & ex maximis, & ex minimis quæ vsu veniant, solerter capere oportet: exempli gratia, si ludendum, inambulandum, loquendum, negotia curanda, instituenda oratio, consilium dandum, nonne statim in aliquam partem feror; ceteris eam suadeo; sollicitè probo; anxie, me non satis capi, parum appositè dicere existimo: virgeo, verba verbis, sententias sententijs aggero: quæ omnia impetum in suos sensus nimium, nimiam sollicitudinem præterunt?

Iam verò, si parum, remisè, negligenter audior: si alia quàm voluerim placeant: istudne æquo animo fero? an etiam gaudeo?

An opinione & sententia mea reiecta, libentiùs in aliorum sententiam concedo: ijs me libentiùs adiungo, quos iudicijs meis magis experior aduersos?

Post alicuius rei vel negotij peragendi curam susceptam, si animaduerto præstare vt omittatur: nonne pudet, nonne multa excusone leuior videar, nonne pertinaciter perseuero, ne imprudentiæ in aggrediendo arguar?

Propensiusne, id quod mihi in mentem sponte venit, an quod ab alio suadetur, amplector? An verè & ex animo argumenta quaero, quæ alijs potiùs, quàm mihi suffragentur? Si malè illorum consilia cesserint, annon meum mihi recurrere iudicium sentio: ingeminare cogitatum; Benè prædixeras, credere noluerunt, iustè puniuntur; aliàs credent? & hoc ipsum annon aliquando etiam sermone iactabundus extollo, & quodammodo insulto?

Annon præiudicatis facilè abducor, sic vt ægrè ab opinione, vnde vnde hausta, recedam?

An ad hoc pronior sum, vt passim occurrentia, res atque homines, in meliùs, aut deterius iudicem? est enim hoc & auctoritatem vsurpare iudicis in omnes, & sibi quarumcumque rerum perspicientiam veram arrogare.

T

An

An quapiam in re vel arte reprehensus, de reprehendentis existimatione, aliquid in eadem re vel arte detractum cupio, aut gaudeo? id enim oritur ex eo quod imperitiæ illum damnando, me præferendum iudico, & ab alio præferri opto.

In rebus iudicandis, & pariter agendis, lentior, an præcipitior sum? & hoc utrumque qua causa? etenim non raro, ex præfidentia iudicij sumus præcipites: ex nimia prudentiæ, & humanæ laudis affectatione, lentescimus.

An, re prius apud me definita, consilium exquiro? hoc enim non est, nisi iactantiam rei à se iudicatæ comprobationem aliunde venari.

Libentius in res inutiles, scientias curiosas, tempus & operam colloco, quam in eas quæ timori Dei, humilitati & perfectioni conducunt: in illis enim putida quædam ostentationis latet vanitas.

Reprehensus, an cum reprehendente, ipse me serio & ex animo reprehendo? an omnem mei excusationem à me procul amoueo? an peccatum meum, errorisque meos potius agnosci, quam latere cupio?

Annon subinde rationibus exaggeratis, quæsitis, affectatis, aut contentiore voce, gestu, incitatu, opinionem meam, aut improbatam tueor, aut neglectam commendare conor?

Post aliquam in diuersa opinione contentionem, nonne sollicitius quid dictum sit mente reuoluo, & noua meæ defensionis argumenta conquiro?

Cùm de aliqua re incertus hæreo, an non subinde, vel dubitationem meam silentio premo, ne ignorare videar, vel sic eam in medium adduco, ut non videar ignorare, sed alios explorare, vel aliter tegere?

An pudet sincerè fateri, nescire me quæ nescio?

Si quapiam in re scientior fuerim, an facilè aliis cedo? an scientiam dissimulo? an ignorantia opinionem libenter subeo? an ineptè & imperitè, coram imperitis imperitiæ suam quasi summam peritiæ iactantes æquo animo fero?

Denique summa Dei sapientia, summè intelligens, toto infantia tempore sic habita est quasi sine intellectu esset, ligabatur, soluebatur, reclinabatur, erigebatur, in vlnas assumebatur, & alia omnia fiebant, utcumque collibitum ceteris fuisset, idque omne seu molestum, seu parum forsan decorum, seu parum opportunum esset, tacitus aduirebar: an sic me pueriliter, sine ratione, sine iudicio, haberi, regi, susque deque verari ab omnibus patienter fero? ô absolutissimum, omnis iudicij ponendi, nobis delineatum exemplar!

CAPVT XIII.

In eandem rem quid indicij, ex memoria, seu imaginandi facultate capiamus.

Anon rerum bene à me, & cum laude gestarum, vel facilis, vel grata est recordatio? quàm statim, & cæteruatim mihi rationes occurrunt, cur mihi hæc & illa debeantur? cur mecum non sic aut sic agi debuerit?

Annon ingrata, & perturbatrix quietis est, memoria eius rei, loci, temporis, vbi apud homines grauius offenderim, imprudētius egerim, incautior, simplicior, irrisioni opportunior visus fuerim? annon magis opinionis meæ quàm gratiæ diuinæ detrimentum doleo: & cum acerbitate quidem, aduersus honestatis ciuilis leges fecisse me recogito, at quodd in diuinæ legis præscripta peccauerim, si modo later, minùs moueor? Ah quoties, vbi aliquid minùs prouidè factum, minùs blandè, nec satis honorificè compellatus aliquis, aut aliud præter mores admissum est, nos pudet, anxie & sollicitè excusamus! at verò malè & flagitiosè, dum tamen occultè, patratorem, aut nullus aut permodicus dolor tangit, ad eò opinionis potiùs umbrâ, quàm solidæ virtutis amore ducimur.

Quàm statim, & facilè è memoria mihi excidunt, quàm agrè in cogitationè reuocantur, quæ mei contemtionem, iniuriarum & crucis amorem prouocant? cum tamen & in minimis & in maximis quibusque, vltro protinus, & nõ aduocata recurrerent omnia quæ meam mihi exultationem, quæ iniuriarum & crucis horrorem, quæ rerum blandiorum amorem incitent?

Sic ego iucundiora & quæ magis arrideant, vndiquè consector; tu verò Domine mi Iesu, cum in terris viuens, vitæ mihi formam delineares, asperiora tibi sumebas, cogitationi & memoriæ tuæ dolorum olim ferendorum immanitatem semper obiectabas, fueruntque tibi lacrymæ tuæ, siue dolores tui, panes die ac nocte, selectusque tibi cibus facere voluntatem Patris tui, quæ voluntas sanctificatio & liberatio fuit hominum, tuo in sanguine mundatorum, eo que perquam dolorifico profluuio, cum te totum exundaturam scires, Quomodo, inquit, coarctor, vsque dum perficiatur? & auidè illud dolorum stadium decurrendum expero? & non solum à memoria mea dolores illi non recedunt, sed ipsa dilatio dolorem auget. ita mihi salus tua omni meo commodo est potior. Verè, ita est Domine, & quoniam ita est, tuumque tam profusè mihi sanguinem prodegisti, id etiam suppliciter rogo, vt cogitationi & memoriæ infigas crucis tuæ, & similitudinis tuæ characterem, quo insculpta, nihil quod humilitatis tuæ imitationi aduersetur admittat.

Luc. 12.

CAPVT XIV.

Voluntas & affectus quò propensi.

AN hæc sola, hæc serua, agendorum & omittendorum omnium causa, maior Dei gloria, & cum diuina voluntate consensio? quippe vbi hic quippiã deficit, à vero ad fictum, hoc est à Dei ad hominum honorem vanum quærendum transfugitur. Sed hoc ipsum ex sequentibus clarius fiet.

Annon laude rerum mearum, concionum, catechismorum, scriptorũ, factorum, amicorum, cognatorum, familia, patriæ delector? maioresque inde sumo animos vt incepta persequar? annon eas laudes blandè foueo; leniter declino, vt iritem & augeam; refuto, vt grauius confirmetur? ipsos verò laudatores vicissim laudibus onero, singulari mihi beneuolentia adiungo, verè amicos, & ab omni inuidentiæ liuore liberos prædico, munera, & si quæ licet beneficia in eos confero, me scilicet istiusmodi laudatione, quasi summo beneficio, illis deuinctum credens, tantum apud me, vanissimæ assentationis æstimatio excreuit.

Quid verò: eadem res illæ meæ, conciones, catechismi, scripta, facta, conatus, sermo, vultus, gestus, conuiuendi modus, lenitas aut asperitas, comitas aut inurbanitas, munia obita, amici, cognati, familia, patria, si aliqua sinistra hominum opinione laborare videantur, si vituperentur, impugnentur: illudne omne pacatè excipio? an etiam gaudeo? an maiorem inde alacritatem, fortiores animos sumo? an sincerè, & ex animo, idem atque reprehensores mei sentio, me vituperatione dignum affirmo, eorum opinionem & argumenta confirmo? Certè si ob vituperationem animo contrahor, non aliunde est, quàm quòd ingens aliquod, in laudis assecutione, bonum latere crediderim, vnde si excidero, quasi de graui repulsa, grandique detrimento doleo. At si probè nossem, quantus in impugnationibus, & reprehensionibus, ac patientia, cælestium bonorum thesaurus delitet; si animaduertirem Iesum Christum, ex tot sanctissimis suis operibus, vix aliud in hac vita messuisse; totus efferret gaudio, quoties mea aut meorum causa, aliquid perferendi offerretur occasio; tunc illum euentum felicem crederem, quando omnibus à me diligenter & sollicitè peractis, alicunde sic meus opprimeretur conatus, vt omni apud homines fructu cassus, in vnum & solum Deum spem meam solatiumque transfunderem: cauerem summoperè, & instar flagitij maximi exhorrescerem, sinisterius aliquid de viris illis opinari, qui me, mea, vel meos, reprehenderunt, improbarunt, represserunt, aut ignominiosius habuerunt; hos mihi præ ceteris beneuolos & beneficos crederem, vt qui

me

me à præsentibus ad futura, à perituris ad perennatura, ab hominibus ad Deum transferunt, mei & mearum rerum, meorumque omnium amorem, aut ad purum excoquunt, aut etiam radicitus euellunt. ô quàm benè de illis & sentirem & loquerer, quàm sollicitè honorem eorum promouerem, de auctoritate imminuta dolerem! Sed heu Domine Deus meus, contraria omnia in me vigere sentio, meque totum, ex inanissima euanidarum laudum tumoris aura conflatum video, iam piget & pudet, tam incertis agi flatibus, humanæque insipientiæ vento circumactum, existimationis appetitione torqueri: quando erit, vt innatæ corruptelæ, vt consuetudinis inolitæ dura vineula diffringantur! Verùm pergendum est, & hoc ipsam pluribus confirmandum.

Si quid in me fuerit exprobrationi vicinius, vt gibbus, vt corporis deformitas, linguæ blæstas, morbositas, parentum paupertas, aut ignobilitas, ignoratio sermonis, aut scientiæ, aut rei cuiuscumque; annon ex cura caueo, ne in me illa deprehendantur, conorque vt speciosioribus quibusdam obiectis istam deformitatem contegam? Si verò laudabilius aliquid fuerit, istudne ne agnoscat laboro, & aliis deterioribus premo, exemplo Domini qui sapientiam parabolis, innocentiam damnatione, potentiam humilitate, paupertate diuitias, diuinitatem humanitate contexit? Qui hoc diligentius obseruatum intellexerit, potest id consequi, vt (nisi obstiterit Deus) virtutes & bona sua omnia omnino ab hominibus nesciantur. Sed hoc incipientibus non ausim explicare subtiliùs.

Si quod prudentius consilium dedi, & benècessit: annon præcipuè lætor, & à me profectum, vel dico, vel dici gaudeo?

Quod scripsi, aut feci, si relego, aut retracto; annon maiore quàm quod alienum est, me gaudio mulcet? annon eorum commendatione, & ad plures translatione lætor? impugnatione, improbatione sum tristior?

An libentiùs ibi operam nauo vbi labor magis erit illaudatus, minori suauitate, & nulla grati animi significatione conditus? vt si potius ad pauperes, plebeios, rusticos, pueros, quàm ad ditiores, cultiores, aut viros malim dicere, idque ad illorum captum accommodatè.

Numquid non cum ab aliis, præcipuè si alicuius nominis fuerint, amari me video, inde mihi aliquid tribuo: solatium, voluptatem & commodum capio: idque ipsum apud alios sermone dissemino, sic me amari iactans, tot & tales mihi sua fidere, me sibi à confessionibus, à secretis, à consiliis optare, vicissimque grauibus in negotiis, periculi que plenis, præclare à me adiutos? At verò si fortè quem offenderim, vel nulla mea culpa se quis offensum putet, annon ex crucior animi, anxie que ad opinionès & amores hominum circumspecto?

Si in muneribus, aut rerum cura & administratione prætermittor quasi forem ineptus, & alij me ineptiores adhibentur, idque potissimè si in eo contingat cuius mihi peritiam arrogauerim, & in iis quos præ me contemserim, quam

tranquillus, quàm lætus, id excipio: quàm fortiter in eo perseuero, vt de me fieri, alios autem per hominum ora volitare gaudeam?

An illa potissimè in unia ambio quæ humiliora, ab oculis hominū semota, & minùs exposita laudi sunt? Laudata illa Abigail, euocata vt vxor Davidis fieret, *Ecce, inquit, famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.* Vocatur ad maritalem torum, & ad famularum infimum erga seruos obsequium aspirat; instar magnæ illius, quæ ad Dei matris vocata dignitatem, se ancillam Domini, ad omnem Domini nutum paratam profiteri mauult. Ah quàm hinc diuersus ab eo! ad maiora vocatus, ad uolo; non vocatus, desideris irumpo.

An me ceteris omnibus viliozem, eorum consortio indignum, indignum puto quem conuiciis imperere, & à se repellere dignentur? Certè Damascenus cloacis putidissimis & latrinis expurgandis indignum se credidit; quidam alij, ipsis se conuiciis & verberibus indignos credidere: quid enim vera non euincat humilitas?

An vsque ad eò ceteros veneror, vt, Deo in illis spectato, eos quasi diuinum aliquid contempler, nihil penitus de eorum actionibus mali suspicando, nec de ipsis nisi benè iudicando: quasi si extra erroris, extra iudicationis omnis aleam, quantum quidem ad me spectat, sint positi? Vtrumque etenim suadet humilitas; se despiciens, alios suspicit.

Si de me secius aliquid delatum, & maximè ad Superiores, intellexero, ipsique super eo sileant; annon vereor ne fortè id credant, minùsque benè de me sentiant: vltro ne, non euocatus, ad me expurgandum accedo, vel occasionem proferendæ veritatis capto? licet enim id sine peccato fieri queat, cum tamen nulla est per me erroris data occasio, suadet crucis amor, vt sinisteriore illa de me opinione later, tumque maximè, cum ad Superiorum aures peruenit: hi enim pro potestate & auctoritate sua, possunt de veritate rei quarere; quod, si neglexerint, & in errorem temerè abducantur, nequaquam id mihi crimini vertet Deus, sed erit in singulari patientiæ coronam. At cum non eadem sit inferioribus ad indagandum verum libertas ac facultas, procliuius est vt his, ne quando offendantur, rei gestæ sincera veritas narretur: nonnumquam etiam facti, quod in deterius interpretantur, ratio reddenda sit, quamuis vt plurimum, vbi nulla mali subest species, fortius est, magisque ex humilitate, si eiusmodi interpretatiuncula contemnantur.

Eorum, à quibus in me redundare commendatio, vel alia queunt commoda, nonne facta & laudes prædico, & enitor vt de meo in illos affectu certiores fiant: in aliis verò, qui minùs possunt, censendis & reprehendendis, nonne liberior & pronior sum?

Annon accidit, vt subinde libenter alijs concedam, quando leniter & summissè mecum agunt: at si quid quasi ex auctoritate sibi vendicent, quasi iure sibi

arrogent, me præterito, neglecto, inuito, vel contempto obtinere contendant; hinc ego me demittere, ac propensius cedere, vix in animum induco, argumenta quæro quibus meum mihi ius, auctoritas mea illæsa seruetur.

An me omni profusus beneficio, seu ab hominibus, seu à Deo, indignum puto? omnem repulsam, vt mihi pro meritis expectandam, æquo animo fero? miror si quid grati alicunde accadat? nihil de vlllo mortalium, de euentu, de re quapiam conqueror?

An, imitatione illius, qui Dominus omnium, omnium seruus factus nostras iniquitates, nostra in se scelera, nostra peccata suo in corpore pertulit; omnibus posthaberi opto, aliorum luere crimina, impositas accusationes perferre, onera subire, semperque omnium esse postremas?

Anò sapè id de me ficta humilitate profiteor, quod ab aliis obiectū doleo?

Si in aliqua dignitate, honore, munere vel viua, vel aliquando vixero, nõne subinde, vltro id mihi delatum, honoris fugam optabiliorem esse iacto?

Annon diligenter & contentius ea exequor, quæ in hominum oculos incurunt; indiligenter & remissè, quæ semorè ab arbitris priuatiu fiunt?

Quoties vel irrisione, vel aliorum improbatione deterritus, benè cœpta vel abrumpo, vel languidius persequor?

Sedatè & pacato animo, an potius impetu ad agendum feror?

In libris, ædificiis, piis operibus, meam, aut familiæ memoriam propagari, nomen inscribi, titulos affigi num expeto?

Si quod rerum acerbarū, difficilium, doloris & sudoris plenarum, periculum imminet, an contrahor, an expauesco, an effugium quæro, an à me desideris amolior? an iucundiora, fauentiora, lætiora expeto, an eorum expectatione delector? Atque vt id ipsum certius deprehendam, & ipsis rebus euincam, si conficiendum est iter, pedesne, an eques; plana, an aspera & difficili via; leni & serena, an dura & pluuia aura; per inhospita telqua, an per amœnâ & frequentia incolis loca, id peragere malo? Si de habitatione agitur, An eam urbem expeto, quæ minùs celebris, inamœna, incommoda, rerum omnium nobis opportunarum egentior sit? ibi verò, an illud eligo cubiculum, quod angustius, obscurius, malè materiatur, ventis peruium, odore tetrum, ceterisque sit vilius? Si de Superiore agitur, An illum opto, qui à me auertior, qui in imperando præfractior & durior, qui parcior ac propè sordidè auarus, qui immisericors & immitis, qui nihil honestæ relaxationi concedens, acerbis indefessus imperiis vrgeat? Si mitiore, amabiliore, liberaliore, humaniore aliquo eum commutari contingat, An doleo exercendæ mihi virtutis, instruendæ patientiæ, & crucis amplexandæ materiam esse subductam? ô quantum hinc mihi deesse comperiam si ad plura mentem aduerterero! neque, quod miserius est, excusationes caluæ deerunt, quarum obtentu, mala mea, specie boni contegam, modò valetudinis, modò officio-

officiorum, modò infirmitatis, modò hominum rationem habendam ipse mihi persuadebo: semperque, sanctæ crucis amor, à mente meà longius pulsus, exulabit. ô vanissima ratiocinationum humanarum ludibria, quàm verà & divinâ me virtute spoliatis, quantopere me à perfectiore Iesu Christi Domini mei imitatione remouetis!

C A P V T XV.

Ex iis que ad votorum Religiosorum obseruationem faciunt, quàm desit humilitatis & crucis amor?

DE corpore, valetudine, commodis quàm sapè sum anxius? Austeriora, duriora, laboriosa quàm subterfugio & declino? Quàm facilè mûnera promitto, largiùs dono, facilè admitto Superiore non consulto?

Nullamne in rem vehementiùs afficior, quia elegans, benè elaborata, à maioribus, ab amicis donata est, vel ob aliam eiusmodi causam, quæ in maiorem Dei gloriam non dirigitur?

An facilè sine facultate commodato do, vel accipio? An ægrè res meo vni dicatas, aliis vtendas permitto? An illiberalis ceteris, quæ mea sunt, accuratiùs & lautius curo?

An superflua, curiosa, splendoris aliquid redolentia habeo? An maximè trita, vilia, communia, & omnium neglectissima expeto?

An quæcumque Religionis propria sunt, supellectilem omnem, vasa, res omnes, quasi sacras, & sanctorum vsibus, Deo que ipsi dicatas veneror, sollicitè conferuo, caueo que ne quid vel minimum ex illis pereat, iufringatur, atteratur, aut non iusta ratione consumatur?

Corporis macerationem, cilicij, diuertebatione, ieiuniis, vigiliis quàm reformido? quàm diligenter & constanter vsurpo? per ætatem à calore, per hiemem à frigore, omnemque per annum ab aëris iniuriis, quàm multa, quàm libenter patior?

An Superiores meos intimè, & ex animo, quæ Superiores, & non quæ mihi beneuolos aut beneficos, veneror & diligo? eosque maximè præfici opto, qui à me alieniores, duriores, & voluntati meæ minùs obsecundent?

An excusationes & diuerticula quæro, ne quòd nolo iubeatur: an impedimèta artificiosè inferi curo, vel intercessionibus domesticorù aut externorù efficio, ne mihi iniungatur quod minùs arridet. Quòd si nihilominùs ingrati aliquid imperatur, annon quasi coactè, tardè, lentè, pede plumbeo, imperfectè obedio, & inconcinne rem exequor, vt tædio Superiori sit, & in posterum nihil mihi inui-

inuito iubeat: Cùm tamen, si serió spiritu mortificationis Religiosæ agerer, eiusmodi iussiones alacritate maiore explere, vires meas omnes & industriam libentius exhaurire deberem, ac sollicitius curam & vigilias intendere, ne quid illis vlla ex parte deesse posset.

An procliuius ad speciosa, gratiosa, honorifica, quàm ad abiecta, odiosa, humilia Superiori me offero? An eiusmodi me præbeo, vt ad omnem cuiuscumque negotij occursum, liberrimè, & magna fiducia ad me recurrat Superior? sulciam quæ præ vilitate aut labore ceteri recusant, & peræquè libenter faciam, quod alijs primò oblatum, ad me denique, id oneris a se excutientibus ceteris, est deuolutum? Si murer, officio abire iubeat, restituar, iterumque destituar, pilæque instar verser & reuerser, susque deque iacter, an semper cruci infixus hæreo? an aternitati permanenti sic inhæreo, vt labentia nesciam tempora, & mutationibus non immuter?

An defectus & imbecillitates animi, quas in ceteris obseruo, vel quæ malè geri animaduerto, Superiori indicare non audeo, ne quid mihi inuidia, vel odij conciliem? id enim est hominum suæ existimationis nimio opere amantium.

An non mihi varias gubernationis & Superiorum ideas effingo, optans modò suauiter, modò fortiter, modò liberalius, modò parcius, varijs in rebus variè agi? quod est hominis aliena iudicia improbantis, sua verò singulariter amplectantis. Hinc & illa oriuntur, O si talem Superiorem haberemus, qui hæc & illa faceret, quàm bellè omnia procederent! Vel etiam, Si Superiore essem, hæc & illa facerem! quam cogitationem vera humilitas procul odoratur, & summa execratione abominatur.

Sed & aliunde quidquid obedientiæ deest, humilitatis defectum arguit. Quid enim? si non simpliciter, sed subdolè obedio; si non hilariter, sed cum tristitia & obmurmuratione; si non integrè, sed tantùm ex parte; si ad oculum tantùm, dum Superior præsens adest; si non fortiter, sed facilè quouis obnusu deijctor; si non constanter, sed tædio & remissione surrepente: nonne id semper inde ortum ducere deprehendo, quòd humilitatis, quòd crucis, quòd imitandi Iesu Christi amor deficit? O Domine mi Iesu Christe, da mihi & huius perfectionis cognitionem perfectam, & desiderium ardens, & vsum perseuerantem.

CAPUT XVI.

Alia in sermone & alijs unde non dissimilis coniectura capi possit.

AN libentiùs verfor cum abiectionibus in speciem, quàm cum ijs qui genere, auctoritate, opinione, scientia, vel forma honestiore, & ad reuerentiam conciliandam aptiore sunt præditi?

In vestitu, corporis cultu, & ceteris omnibus an malo viliora, magis trita, & quibus quasi præ reliquis negligi videar?

An facile in conuersatione offendor, meis propensionibus obsecundari cupio, à communi consortio me subduco, nec mihi placent, nisi quæ meis rationibus consonant? solet autem id, ex quadam naturæ morositate, & iudicij proprii vi exoriri: horum autem radix, vel superbia, vel excellentiæ ac sui nimius amor.

Sialicuius commodi, relaxationis, lautiorum epularum, iucundiorum spectaculorum, vel alterius oblectationis recordatio vel expectatio mentem incurset, an contristor, an quantum sine affectationis opinione possum, & ratio suadet, declino & subterfugio? Hoc faciet, qui crucem in defessus amat, nec sibi vniquam remissiones optabit. Docebit tamen prudens discretio, admittere moderatè oblatas, nec vltra quàm vires ferant tendere?

An non interdù rerum exitu secundo vanè efferor, delector, exulto? & contra deijctor, indignor aduersis, spe frustratus animo concido, nimium quæ rerum euentu moueor: cum tamen id mihi solum curæ esse deberet, vt quod mei muneris est, diligenter pro meo modulo præstem, ceterum euentum, diuinæ providentiæ absque sollicitudine committam.

Si quid secus quàm optaueram factum sit, & is error vel nullius culpa contigerit, vel sic perpetratus iam sit, vt retractationi, vel emendationi non sit relictus locus: an conqueror, an grauiùs mæreo, an sortem lamentor meam, & sæpiùs easdem, vel sermone, vel cogitatione querelas repero? Cùm enim corrigendæ aberrationis facultas deest, animi est nimium ad quamuis asperitatem crucis externati, non possè leuius ferendo reddere, quod iam nefas est corrigi.

An non superbus, liber, audax est oculus, & rerum quas videt censor?

An non aliorum laudibus interdum inuideo, eas minuo & infringo? etenim id fit ex amore laudis quo ipse teneor.

An sum durus, retticus, mordax & derisor? id enim non fit nisi ex aliquo aliorum contemptu, & minore vel nulla veneratione.

An

An non clamofus, contentiofus & loquacior fum? ambages longas intexo, interrumpi nolo, & alios ipfe fapiùs interrumpo? est hic error in humana vita valde indecorus, conuetudine confirmatur; at exoritur è vitiofiffima radice. primò quod alios parui duco: nec enim fic Principi, aut præcellentiffimo viro loquerer. tum quòd alios loquentes, à me statim fatiis, vix ore aperto intelligi credo, me verò ne longo quidem sermone contexto, ab illorum tardiffimo ingenio capi poffe, nifi ad fastidium repetendo iuculcem: accedit nimius ad loquendum & differendum affectus, ac mei racita quædam vel admiratio vel fufpectio; nimius item ad id quod propofui confirmandum, & mea cœpta perfequenda ardor.

An comtiorem, affectatiorem, elegantiosem, magnificum, vel turgentem sermonem vfurpo? licet enim significantem, non neglectum, & proprium esse deceat, nouitatis tamen & iactantiæ tumorifque notam, à Religiofo caueri oportet.

An contentim alios alloquor, & in verbis audaciam præfero?

Nonne subinde in sermonem infero, vel inferri gaudeo illa ex quibus mentio fiat eorum quæ à me laudabiliter aliquando gefa funt?

An non libentiùs de ijs loquor, in quibus petitiã aliquam ostentare poffum? de ijs verò rebus, quas minùs capio, graue mihi est omne colloquium: Itaque occasionem capto ea dicendi, & in ea deuoluendi vnde mihi opinionem conciliem; poëtica, historica, Græca, Hebræa, Theologica, & alia in medium profero, vnde dicatur, Vir ille doctus est! nec diffimulare scientiam poffum. Quanto fatius foret, si nihil vmquam è fermocinatione, aut rarius aut doctius, nifi neceffitate adigente erumperet?

Si qui ad me propiùs attinent, & honoratiore officio funguntur, an non sermone, qui de illis habeatur, id interfero, fic vt inde in me aliquid redundet? exempli gratia, pater, patruus, frater, aut cognatus meus Confiliarius, Prætor, Præfes, Conful, Comes, Abbas, Epifcopus, aut alia dignitate præditus: poffem enim, (& magis ex humilitate foret) vel dignitatem missam facere, dicendo, Pater, frater, cognatus; vel ipsam præterire cognitionem, solummodò dicendo, Epifcopus, Abbas, Prætor ille id egit, dixit, ageie aut iubere potest. Sed & nonne ex aduerso, si quid in eis minùs honorificum fuerit, caueo ne in me redundare videatur? & non dicunt, Cognatus ille meus futor, cerdo, vilis opifex: at omiffa cognitionis mentione, tuo tantùm illos nomine designo?

Re vera, si depofita omni simulatione, quod res est agnofco, nonne in his omnibus, nonne in plurimis alijs aut latentis, aut palàm exstantis superbiæ me reum deprehendo? ô Domine mi & humillime Iefu, quid me pofuiffi contrarium tibi? Ecce in vanitate conceptus fum, ex superbia & timore coagmentatus: opera mea omnia, & cogitatus omnes, vel infecti, vel ex hoc menstruo

sunt enati. Ecce, in ipsa mea humilitate, virulentos superbiam afflatus sentio, & quidquid egero, vel eius radicibus inferitur, vel fibris implectitur: nec est qui me inde liberet, nisi tu Domine qui solus potens es. Quando extricare me conor, magis inuolutor, & ad me, ac in me semper relabens, modò à me ipso, modò ab alijs, modò à te ipso, sed aliter quàm debeo, gloriam quaero; humilitatem, virtutem omnem, ipsum etiam quodammodo Deum meum, vanitati meae seruire cogo, vnde cumque gloriolam captans. O pes superbiam, quàm multus te innotor! & scio per te corruisse, quicumque operantur & operati sunt iniquitatem! cur ergo Ihs dementor blanditijs, quas pernicii plenae scio? Cur, nisi quòd malè mei amans, mihi praesidens, à me totus abire, in Deum meum totus ire & transfundi nescio?

C A P V T XVII.

Sanctioris desiderij paradigma.

VTinam nunc demum, Domine mi Iesu, exemplo tuo prodocente formam tuam induar, omnibusque penitus despretis, mea & rerum omnium, & maximè existimationis contemtionem, atque crucis perpeffione delecter. Ita cupio, meque ex hoc tempore, talem tibi, talem omnibus exhibere conabor. Paupertas, humilitas, ignominia, contumelia, & quaecumque vitae asperitas, in delicijs erant. Quid rerum mihi in terris exoptem? omnia mihi pro Christo meo detrimenta in lucris reponam, si quo pacto non indignus illo reperiar. Istora omnium, omne desiderium & affectum depono; amoremque Christi pauperis & humilis, summa paupertate & humilitate probare desidero. Cibi, potus, victus curam omnem exuo: attrita & lacera veste gaudebo: mittar vti in regiones eas vbi à latronibus despolier, verberibus onerer, plagis conficiar, frigore contrahar, nudus aestu torrear, inedia, siti, rerum omnium egestate dispercam: & tū hac tua, Iesu Christe, imitatione letabor. Ecce pro eo, quem nunc mihi largiter infundis, affectu, dura, molesta & aspera quaeris, in tui nominis gloriam, vnde cumque expeto. Irruant in me dolores quiuis, non sit à planta pedis ad verticem capitis in me sanitas, & pariter omne in me morborum genus deficiat, scateat veribus purulenta caro, articuli omnes proprio sibi dolore vrantur, colicis & calculorum angoribus crucier, quies & somnus ab oculis fugiat, eosque caligo & caecitas contegit, lingua obmutescat, obsurdescant aures, nares grauis polypos occupet, distendatur doloribus diffusum caput, cor palpiter, anhelet pulmo, iecur aduratur, lapidescant renes, totius denique naturae compage vel dissoluta, vel euerfa, da, Domine Iesu, vt me tibi, verè virum dolorum, & infirmitatum scientem, ad aliquam tui imitationem offerre possim.

Ecce

Ecce Domine mi, si mihi diuitias Salomonis aut Cræsi, si Sardanapali aut Heliogabali delicias, si pulchritudinem Absalonis, robur Samisonis, Mathusalemisæcula, pernicitatem Abisai, & id omne quod vel in fortunatum, vel in corporis dotibus, ab huius vitæ amatotibus exoptari solet, si inquam id omne sexcenties exaggeratum mihi dederis, tuæ id totum voluntati, integerrimè resigno: istorum nihil expeto, nisi quod animæ meæ salutis, tuæ gloriæ vtile fore decreueris. O fastus, opiniones, gloriolæ hominum, quàm vanæ & futiles estis! quàm alacriter vos ego in holocausti fumum, Deo meo sacrifico! Ita sit, quod aggrediuntur ceteri benè cedat, laudentur, & in ore hominū sint magni: quidquid aggressus fuero, careat exitu, de me plurimum semperque taceatur, aut etiam mihi omnes obloquantur; non sit qui blandiūs, honorificè, moderatè alloquatur, quidquid egero improbetur; sententiæ, opiniones, consilia mea explodantur, quæ à me profecta fuerint contemtim eludantur, flocci fiam & negligar; superbus, ambitiosus, inuidus, tranquillitatis perturbator existimer, contingantur in me crimina, calumniæ coaceruentur, terrarum odium & diris omnibus deuouendus habear; quàm beatus fuero, quando vel sic aliquousque illi similis fuero, qui opprobrium hominum & abiectio plebis videri voluit, cum Dominus omnium, & gloria esset Angelorum! Egone vt peccata mea, infamiæ vitandæ gratia celari exoptem! ò si palàm edicere, si etiam libris editis, orbe toto illa euulgare mihi liceret, perque meam ignominiam, ad Dei mei misericordiã laudibus extollendam, adspirare concederetur! Sed quoniam id non datur, saltem illud, vt numquam vlla de me aliorum opinione sinistra doleam, vt verbo factouè perstrictus haud indigner. Absit à me, Domine, vt ea de me opinatio mihi placeat, quæ mendacio nititur: absit vt displiceat, quæ è vero sumitur. Et verò cum à me nihil nisi mala multa pullulent, falsò bona, at vetissimè mala mihi multa tribuentur. Quid humanæ laudes nisi mendacia sunt & somniorū inanitas: de quibus Sapiens, *Mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbra, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Dominus est qui iudicat populos, cuius recta iudicia, cuius veritas in secula.* Diem igitur hominis, fugacem & fallacem nimis, nullatenus desiderabo. Si mihi, Domine mi, & præ omnibus amate Iesu, omnium qui vnquam exstiterunt virorum, qua belli, qua pacis artibus, qua scientiæ, qua eloquentiæ, qua auctoritatis, qua etiam sanctimonix laude præcellentium, gloriam omnem in me vnum cumulatam offeras: si ad Magistratum, Principum, Regum potestatem, Prælatorum, Episcoporum & Pontificum dignitatem euehere me spondeas: at aliunde omnium conuicijs exagitorum, scelerum notis inustorum, proborum plaustris onustorum, male dictis impetitorum, quin & infami iudicio damnatorum, ignominiam & execrationem omnem, in meum vnus caput, nullâ mea noxia, derinari posse præuidero: en tibi, Iesu meo, contemtam illam omnem gloriam respuo; tuæq; humilitatis amore suadente, tantorum dedecorū tot labe, in mei

Ecclesi. 14.

innocui caput libens euoco. Ita quidem, te dante, nunc volo, & ut possim, abs eodem voluntatis donatore supplex postulo.

Sed neque hinc resisto: progredior longius: tibi que affectum meum omnem, amorem, desideria, voluntatem, intellectum, & quidquid intimius animo meo inest, in tuæ crucis ara sanctissima immolo, ut quacumque ratione flectantur, vertantur, euertantur, ad maiorem exercendæ vel comparandæ humilitatis prouentum. Ite à me procul amores & desideria omnia, ite: amabo, desiderabo, que crucem, quæ humilitatē sapient; quæ non sapient, auerfabor. Ideoque quæ naturæ desiderijs, quæ propensionibus meis magis erunt contraria, sectabor impensius; aliorum voluntati obsequar, iudicia probabo, meis ipsius aduerfabor. Agite; sursum deorsumque me versate Superiores, quo scueriores & duriores, eo clementiores & blandiores te vera vos experiar. Reprehensiones, obiurgationes, pœnas acres & diurnas ingeminate crebrius: nusquam mihi parcat, aliorum in me labores, errores, delicta, ipsas quin etiam pœnas deriuat: quamcumque mihi iugum grauius reddideritis, eo fiet leuius, quo propius à Domini mei cruce abfuerit.

Cum hæc audis, expallefcis, ô natura, sed quo magis expallueris, tanto acrioribus te amoris diuini stimulis fodiam, ut porro semper, in amore crucis pergas. Fortis ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio: hac te sancta æmulatione torqueas, hac forti dilectione tibi feliciter emori affuescas.

En pariter à voluntate, à iudicio, omne quod meum, quod proprium, quod non à Præpositis & Deo meo est ab dico, refuto, explodo. heu, propria voluntatis, proprii iudicij lepram, quantum malum! quam penitus execrari cupio! Da, Domine Iesu, ut numquam illis occuper: ah, quoties parum attentis obrepere, interspere, oppressere! Domine, illumina oculos meos ne umquam in hac morte obdormiam. Non raro perimus prius, quam nos peti sentiamus: blanda rationum specie suadet vel dissuadet amor non rectus, auditur, fauetur, dumque non acrius excutitur, rationis vim induit, permonet, euincit: denique sic mentis arcem occupat, ut non sine piaculo contra se iri posse persuadeat, in eo agi Deigloriam, ut quomodo vult & iudicat, ita omittatur aut fiat, ex quibus quæ non perturbationum & improborum conatu illiades consequuntur! Ah, quam in hoc vitium propendere me agnosco! Quid præsentioris medelæ, quam ut omnino sic tibi voluntatem & iudicium meum, Superiorum meorum iudicio & voluntate obruendum tradam, ut ad omnem eorum iudicij voluntatisue significationem aut nutum, nihil in me sit quod non confestim acquiescat, omni que aduersante motu sopito pacatissime tranquilletur. Primò igitur & maxime, Domine Iesu, te in cruce obedientem contemplando, curabo ut mea ipsius sponte, nihil omnino velim, nihil nolim, affectum suscipiam nullum, nisi quem obedientia, quem Deus adspirarit. Deinde quem suscepero, sic moderabor affectum, ut non aliter, quam obedientiæ & Dei causâ vigeat, possitque quouis momento deponi,

deponi, vbi se vel obedientiæ vel Deiratio subduxerit. Denique ita statuo. vt, quamuis vndecumque, vel affectus, vel perturbatio, vel desiderium, vel iudiciũ irreperit, id tamen quodcumque, quod à Superiore meo dictum fuerit, quantumvis opinioni & iudicio meo aduersum sit, quantumuis veritati & rationi meæ parum consonare videatur, summa humilitate excipiam, mentis assensione persequare, omnemque oblectantis animi motũ opprimendo, prona voluntate consentiam. Ignorantia rerum procreatarum omnium meum occupet intellectum, vel ipsius mei nominis obliuiscar, analphabetus euadam: si te Dominum meum scio, fat scio; si tuæ gloriæ id suffragatur, hoc exopto: quæcumque homines, qua homines, formidant & fugiunt, hæc in sanctæ crucis amorempacatius expectare, ardentius amplexari, auidius exoptare propono.

Et hæc quidem Domine in luce perfectionis tuæ, in splendidissimi exemplaris tui delineatione video, sed quàm diuersam in affectuum meorum incitatu legem sentio! Dum humilitatem prædico, dum cruces amare statuo, verbis & superficialiter tenus, non re ipsa, & medullitus id ago. Ab occultis meis munda me Domine, & à limo profundi, in quo non est substantia, erue me. Verè etenim vsque eò in profundum superbiæ barathrum demittor, vt vanitati immerfus, nullo solido fundo inhærens, densiore me cæno inuoluam. palàm, & non simulate profiteor, superbia meam animam penitus occupat: humilitatis ne prima quidem in me semina sunt, & cruces perferendi innatus est horror. aliud si loquor, ipse mihi adulator, humilique sermone superior euado: humile quid peragere si tento, inde continuo efferror, vnoque hydræ capite exsecto, plura mox renascuntur. exoritur qui dicta, scripta, facta mea dilaudet, distendit gaudio; sit qui eadem vituperet, non minus mærote contrahor; exurgat acer impuglator, acrior insurgam propugnator. ita sentio, blandè titillant laudes, vituperatio molestior est, incommoda formidini sunt. Quidquid in diuersa & celsiora connitatur, frustra est, mole mea pressus ad pristina deuoluor, illi planè similis qui diffraactis ossibus, neruis solutis iacens, erigere se subinde tentat, & grauius mox, urgente pondere, vigore destitutus, non sine dolore relabitur. Ad te igitur Domine sunt oculi mei, clamabo ad Deum altissimum. Deum qui benefecit mihi, misit de cælo & liberauit me, eripuit animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt placeam coram eo in lumine viuentium: eduxit e tenebris, & transfudit in admirabile lumen suũ; videre, agnoscere, desiderare dedit sapientiæ veræ thesauros in mysterio crucis absconditos. Magna est super cælos misericordia eius, & bonitatis eius nullus est terminus: ergo, quia vana salus hominis, quia Dominus ipse Deus virtutũ est; in Deo faciam virtutẽ, & in eo sperans non infirmabor, euellet ipse de omnibus superbiæ laqueis pedes meos, & in humilitatis petra ipse me locabit: vires dabit, animũ sufficiet, in ipso, ex ipso, & per ipsũ audebo, speraboque fore, vt quicumque rerum in alternatione, me tamen exuam, & denique Chrustum meum induam, eius conformatione beatus euadam.

Ista

Ista mihi desideria sanctus Iesu Christi afflatus adspirat; ad quorum tamen celsitatem, meamque infirmitatem dum oculos conuerto, totus expallico, & vehementer extimeo, ne grandiore quam ferre valeam onere suscepto, temerarius opprimar, & derisuris inimicis, vanus promissor ludibrium fiam. Quam multa, humilitate prægrandia, asperitate prædura expetui! hei mihi, si ex voto accidant, expauesco; ferendis virtus deerit, & ex alto, ruinâ grauiore collidar. Quid ergo? postulata retractabo: absit, quò me vocat Christi humilitas sequar; at quomodo vel sine superbia, me tantis rebus non imparem putabo; vel si pyrauerò, fractus animo non concidam? Ita est Domine mi, & Redemptor animæ meæ, ipse si me respicio, coarctor, & quò me veram non habeo: ad te verò quando conuerto, ecce spes mea, fiducia mea, misericordiæ tuæ multæ Domine, & secundum iudicium tuum viuificabis me: aspice in me, & misereere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum. Quos ita respicis, diligis; ijs verò quos diligis, hoc est amabile & admirabile iudicium tuum, vt ijs omnia feliciter in æternam salutem cedant: purgas eos, vt palmites vitali gratiæ tuæ radice vegetatos. sed sic purgas, sic exeres, vt prouidè caueas, ne modulum virium, certaminis grauitas vincat; sed semper ex tentatione prouentum, ex impugnatione constantiam, & maiorem è fatigatione alacritatem excitas. Huic tuæ amabilissimæ prouidentia me committo, imbecillitati meæ illius præsidium imploro: aspera, aduersa, abiecta, dolores, cruciatus, ignominiam, calumnias nullas defugio, dum illa mihi comes adsit; dum tu Domine Deus meus, tuo principali spiritu me confirmes, robores, augeas: at si vel paululum à me auxiliatricem manum auerteris, protinus conturbabor, corruam, & in ruinâ scandalum erunt, quæ debuerant æternæ gloriæ coronam texere. Consultius igitur mihi fuerit, Domine mi Iesu, vt apud te nihil acrius vllam in partem vrgeam: & imperfectum meum, & desideria mea, vides, dijudicas, veriusque quam ego ipse dignoscis: à te omnia quæ mihi conducunt expectabo, remouebis quæ nocitura nos: crucis, humilitatis, imitationis tuæ amorem & desideria, vt spero, dabis ardentissima; experiendi verò occasiones, pro virium incremento, ita moderaberis, vt neque otio mens torpeat, neque incursum impotentiore frangatur.

C A P V T XVIII.

Quomodo ad eam humilitatis celsitatem perpendum sit.

Tanta est perfectioris illius humilitatis excelsitas, tanta nostra in vanissimos tumores, & opinionem vndique captandam procliuitas, vt, si quando sedariùs, omni que simulatione reiecta, nostros vulgarium hominum de humilitate

rare sensus & desiderationes exploro, nihil in eis, præter inanem verborum sonum, & illudentem humilitatis obtentu superbiam, comperire possim. De humilitate cogitamus, loquimur, dissertamus, & dum illa nobis nimio placent, esse aliqui videmur, ac vnde nostræ inanitatis agnitione contrahi oportuerat, inde inflatores turpi vanitate distendimur. At verò, gaudere sanis, opprobrijs gloriari, doloribus & cruciatibus lætari, efferri animo, & vt cum Sancto loquar, Omne gaudium existimare cum in varias tentationes inciderimus, quàm longè à nobis est situm! quàm timendum ne propterea id minus capiamus, minus audiamus, quia ex Deo non sumus? at spiritus ille veritatis quem promisit Dominus, qui nos in omnem ducat veritatem, ardentè postulandus est: vt eius dono, ea fortitudine induamur, qua contumelijs pro Christo Domino toleratis gaudeamus. Quid enim? cum se nondum Apostolorum mentibus sanctus ille Spiritus infudisset, dicebat illis Christus, ire se Hierosolymam, tradendum, illudendum, flagellandum, conspuendum, occidendum; potuit ne apertioribus verbis *Luc. 18.* dici? Sed ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. ergone quis esset verborum illorum significatus non videbant? in vernacula sua lingua peregrini errabant? minimè gentium: ac cum verba singula caperent, in vniuersis tamen hærebant, mortem, flagella, irrisus audiebant, sed inolita, totoque corde imbibita, de Messia regnatura persuasio id omne confundebat, & non nisi caliginosam incertamque mirationem animis eorum relinquebat. Verè absconditum verbum crucis, absconditum verbum humilitatis; illud autem, quibus placuerit, reuelat Deus paruulis. Audis tibi edisseri quid sit febris, quid sit dolor, & nosse putas: mox vero cum in venis exstauerit, verè dices, Nunc quid sit febris, quos parturiat dolores scio, antè nesciebam: itidemque nec mellis dulcorem, nec amarorem fellis nisi gustando scimus. Dicimus, & vt plurimum in excessu mentis, ac plura quàm pro viribus spondentes dicimus, Crucem amplexabor, humilitatem persequar: verum ecce, si crux aliqua obtingat, si humilius aliquid nobis obueniat, perturbamur, pedem referimus, honestum aliquem receptum respectamus, verissimeque dicere possumus, Quando crucem, quando humilitatem expectij, nihil horum intellexi, nec illarum pondus, nec meam imbecillitatem expectam habui.

Quid ergo? si error iste est, si sæpenumerò nostri est blanda deceptio, an resiliemus, & ne quidem hæc animi pia proposita suscipiemus? absit. Cauendū certè est, ne in solis verbis, solòque cogitatu sistamus, quæ fuit Ethnicorum Philosophorum vanitas. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Existimemus tenuia quædam hæc esse initia bonorum, quæ opere, exercitatione, præce fouenda sunt, & vt data diuinitus, non sine gratiarum actione retinenda. Itaque hic sit primus ad humilitatem progressus, vt ne nostris verbis, & quasi magnificè fortiterque cogitatis fidamus, quin potius nos omnino omni humilitatis cognitio-

ne & sensu nudos credamus, ac in eius sacratissima adyta, solo S. Spiritus ductu, penetrare posse, quem ex animo totisque viribus aduocemus, ut humano peruersoque nostro penitus euulso, diuino suo sanctissimoque spiritu, in nobis insito nos regat.

Verum quoniam Deo exigente noster etiam est conatus adhibendus, neque solis voris cuiquam obtingit virtus, ad laborandum nobis est, ut eam consequamur: erit autem labor fructuosus, si eum certa via prudens ratio dirigit. Et quidem, ad hanc ipsam humilitatem comparandam, compendiosam & facilem viam descriptam habes libello de Virtute consequenda c. 13. & sequentibus, Si videlicet virtus ea in alio quopiam reperitur, intelligatur, & ametur: Si deinde ferio, verè, & ex animo, integrè perfecteque optetur à nobis: Denique si sensim, paulatimque sic eam usurpemus, ut ab imperfectioribus ad perfectiora, à proximis ad remotiora tendamus, quæ singula cum ibidem vberius dicta, & exemplis illustrata sint, non video cur hic repetito sit opus. Dicam tantum, quid super hac re, idem huius humilitatis commendator B. Ignatius præscripserit; quod ipsum tanto maioris apud omnes ponderis esse debet, quo propius vero est, humilitatis ad eundem vias ab eo sciri perfectius, qui non sola cogitatione, sed re ipsa, ad eius culmen & fastigia summa conscendit. Enumerabo igitur primum, seorsimque singula recensebo, usum deinde complexumque illorum, deinceps breuiter indicaturus.

1. Quicumque ergo stadium Religionis decursurus, & præclaram humilitatis palmam decerpiturus accedis; id primò omnium penitus animo iunbibe, esse mundum, & ea quæ mundi sunt prorsus exhorrescenda, nullum amicitia fedus, cum vllis eius rebus aut hominibus paciscendum, contrarijs planeque pugnantibus rationibus viuendum, quidquid ei affine fuerit prouendum, euertendum, & non secus ac in bello internecino delendum esse. Iam verò, exitiale istud mundi odium ea omnia concitabunt, quæ de vanitate, fraude, & mendaci eius pellacia passim scripta, & perpetuo vitæ vsu contestata sunt.
2. Proximum est, ut, cum à mundo, quasi quodam capitalissimi tui hostis succuriato milite recesseris, quam proximè ad optimum tuum ducem, vitæque datorem Iesum accedere, & quam simillimus illi fieri exoptes, ideoque iisdem quibus ipse, vestibus indui, notis insigniri, ardentius cupias. Et verò potestne aliquid vel ad imitationem dignius, vel ad rationem certius, vel ad spem & desiderium excelsius fingi? Deum, Deum ducem præeuntem sequi, quantæ est & fiducia, & gloriæ!
3. Illius tamen tui sanctissimi ducis sensum omnem probè pertentatum tenere debes, acuteque perspicere, quantum opere crucis & humilitatis amor illi medullitis infideat, omni que in actione, vita & sermone se prodat. qua de re iam supra diximus.
4. Quartò, in summa Dei sapientia, veritate, via & vita sequenda nec admitti errorem

rorem vllum posse, & non nisi ad veram vitam, ac beatam æternitatem perueniri, adeò pro indubitato habendum est; vt etiam omnem ab eiusmodi sancta Dei & D.N. imitatione deflexum, erroris, peccati, extremaque miseria initium, fomitem, incrementum præbere, non minùs nobis certum sit. Quo fiet, vt quanto à cruce & humilitate Christi nos abesse, iucundis autem, & ad votum fluētibus rebus abundare viderimus; tanto nos periculosius à vera via & vita deuios abstrare timeamus, atque ita à soluta securitate, commoditas & prosperitas vitæ in tantum absit, vt etiam iustam incutiat formidinem, *ne, quod Magnus loquitur lib. 5. Mor. Gregorius, hic laborum fructus recipiamus, ne quod diuina iustitia latens vulnus afficiat, c. 1. & nos exterioribus muneribus cumulans, ab intimis repellat*: ne denique qui diuersa à Domino Deo nostro gradimur via, extremum tandem viæ limitem diuersum, ab eoq; seiunctum sortiamur. Et quoniam summæ infelicitatis plenissimū istud est, inde fit, vt qui procedunt in spiritu, & serio Christum Dominum sequuntur, omninò & non ex parte, abhorreant ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur: cumque animos æternitate suspensos gerant, & in vnam Iesu Christi Domini sui conformationem intendant, valde admodum blanda & speciosa omnia pertimescunt; dura verò omnia & aspera, contumelias, iniurias, falsa testimonia, derisiones, opprobria, & id genus despectiones ac ludibria, ardentibus votis ambiunt, illius commilitones, qui incensis crucis amoribus flagrans, exclamabat, Absit mihi gloriari nisi in cince Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Neque verò fieri potest, quin ista de Christo Deo ac Domino nostro sequendo cogitatio, serio suscepta, à quouis hominum, quamuis resitante, euincat, vt id factu optimum, & aggressione præclarum esse fateatur. quis enim adeò cæcutiat, vt prætulgidæ isti veritatis lucimentis oculos valeat claudere? At nò perinde in facili est, affluetas sensuum delicias aspernari, & blandis honorum illecebris humili pede prostritis, ad crucis vexillum auida cupiditate conuolare; hic cessamus, paillemus, torpemus, omninoque stimulis, istque peracribus vrgendi sumus. Huius autem incitamenti necessitas, & nobis probissimè perspecta esse debet, & planè animo defixum, vt quando tantæ perfectionis desideria tam inflammata non sentimus, illa saltem summo, & quanto potius conatu in nobis excitare statuamus, nosque ipsos ita comparemus, vt eorum omnium quæ ad eum perfectionis gradum assequendum conducere videbuntur, nihil respuamus.

Quare fixum animo sit necesse est, *admittere, patienterq; cum Dei gratia ferre quas cumque iniurias, illusiones & opprobria in Christi insignibus inclusa, à quocumque domi forisue inferantur.* Quamuis autem hoc magnum & arduum nonnemini videri possit, id tamen est quod quasi minimum, & quasi primum in agendo (quæ enim præcessere magis ad agnitionem spectabant) initium exposcit Beatus Pater: non raro enim maximarum rerum, non omninò minima debent esse principia: &

profectò, crucis amandæ, Christumque vltro sectandi, necdum initium posuit, qui ne quidem ad patienter perferenda, necdum vltro ad eunda aspera se comparat.

Hic tamen obiter sisto, vt moneam, quàm non ociosè in domesticæ patientiæ mentionem incurrens Bearus Ignatius, restiterit, suaque illam commendatione insigniri voluerit, æquissimum esse docens, vt in ea maximè domo, eoque conuictu, vbi obedire, humilitatem exercere, æternam beatitudinem consequi exoptas, huius etiam virtutis, tam in communi vita necessariæ, egregia exempla præbeas. Vidit vir egregiè prudens, multorum patientiam næuo isto laborare, quo, licet ab alienis & ignotis, non iniquè & impatienter multa perferant, à notis tamen, familiaribus, & quibuscumque perpetuò viuunt, si quid acerbius obrigerit, extra omnem patientiæ metam prosiliunt. Cuius erroris causas persequi, vt non huius loci est, ira vel maximè est, monere, vt sibi quisque abs isto errore, ac opinione falsissima caueat, putetque nusquam maiora, crebriora & illustriora virtutum exempla prodenda, quàm & in eo, quod sibi perpetuum elegit, vitæ instituto, & apud eos, quos eiusdem cœpri socios & confcios, eademque profitentes est nactus. Vbi labores militares, nisi apud milites, venatici nisi apud venatores, nautici nisi apud nautas exantlantur? Et comperies vsque adedò ineipientes haud paucos, vt cum, ne verba quidem, à domesticis pati possint, sibi tamen de sua aut sint patientia fortia multa promittere? Ignauissimi norum, & planè inscientium hominum id esse solet, vt se mentiantur extra omne periculum audaculos, qui mox ad cuiusuis auræ sibilum pauore consternati diffugient inter pocula viri, in acie feminae. Tunc, vt asperissima, vt à quibusuis, & ab efferatis hominibus feras, qui à mansuetis, Religiosis, & ijs quibuscumque ad iugum ferendum mansuefactus es, ne quidem leuissimè perstringi, vel obiter vellicari, æquo animo toleras? Quam nactus es Spartam, hanc excole: in quod inuectus es stadium, hoc decurre: qui sibi, qui suis nequam est, an erit alienis bonus? Audi Apostolum, *Bonum facientes, non desiciamus. — Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* & alio loco, *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Sed ad nostra redeamus.

Galat. 6.
1. Tim. 5.

7.

Septimò igitur, non tantùm firmissimum nobis esse debet quiduis ferre & pati, sed & illud sanctè inuiofateque animo sancendum, vt nemini vnquam rationem, hoc est malum pro malo rependamus, quin potius præclaram hanc de nobis victoriam reportemus, vt eos impensius beneficijs camulare amemus, qui nobis vsquam in fensiores & iniurij fuerint. Animum nostrum sic assuefaciamus, vt quotiescumque aduersarius nobis aliquis fuerit, quoties à quocumque molestia aliquid illatum erit, seridò illicò, & ex animo mente reuoluamus, Eequidnam sit quod istiusmodi homini in posterum gratus præstare, eamque patientiæ materiam, sincera beneuolentiæ ostensione, ac beneficiorum collatione

com-

compensare possim? Certè linguam compescam acrius, ne quid de illo con-
queratur, illatam iniuriam referat, aut vlla in re alia fecus de illo loquatur;
laudabo potiùs, atque etiam cauebo, ne vel in intimo mentis deterius de illo
sentiam: consortium non diffugiam, familiarius illi me applicabo, & si sexcen-
ties læserit, dicam etiam prodiderit, semper feram, amabo semper, & patientissi-
mi Iesu causa hac exercitatione laborabor. O quantum hoc filiorum Dei testi-
monium est, quàm certa salutis artha, quàm gratum spectatoribus angelis cer-
tamen! Eumne putas qui foret eiusmodi, loca vlla vel munia, hominis cuius-
quam alienatione fugituro? grauem & morosum in sermone & conuictu fu-
turo? Ego verò tali viro nihil amabilius, nihil ad venerationem & amorem
opportunius esse crediderim. Nitendum igitur vt nostros mores ad hanc nor-
mam efformemus, cupideque huius lenitatis tam laudabili pulcritudine men-
tem nostram exornare studeamus: ascendamus in hanc palmam, apprehenda-
mus fructus eius, fructus honoris & honestatis, vitæ & virtutis. Quòd si huma-
no aliquo & lugendo casu, quæpiam aduersus eum hominem offensio interces-
serit, si acerbior sermo, imprudens verbum exciderit, omnino in vos ipsos acrius
id vindicandum, & perquam ægrè ferendum, quòd in tam salutare sanctumque
propositum, tanta sit à nobis facilitate peccatum.

Iam verò, quia virtus, & potissimè tanta, totque ex virtutibus conflata virtus,
nostros etiam labores & adhibitos conatus exigit, sola ad res duras perferendas
animi præparatio non sufficit, periclitandæ nonnumquam sunt vires, ipsaque
exercitatione roborandæ: & quoniam ea est virtus, à qua deliciaria natura no-
stra & quam maximè abhorret, & quàm celerrimè recedit, continua quædam
nobis est diligentia, & non interruptè ad id admouenda, quæ sit eiusmodi vt il-
larum quæ ad delicias & honores plurimum feruntur appetitionum stimulus
obtrundatur, propriæ voluntatis in diuersa rapientis impetus retardetur; aspe-
riora verò, atque multipliciter naturæ iniucunda, non tantùm cum incur-
santur ferantur, sed vtrò etiam per frequenter aduocentur, cupideque querantur.
in vniuersum autem hæc fient, si, vt Beatus Ignatius loquitur, *Maius ac impensius
vniuscuiusque studium sit, quarere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam
in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem.* In quo studio quàm non immeritò
maximam inesse vim asserat ad tantæ virtutis consecutionem, facile is obserua-
bit, qui viderit, quantum eiusmodi abnegatio & mortificatio, ad comprimen-
dos recalcitrantis naturæ motus polleat, quantum etiam, vel asperitates om-
nes leniat, vel ingratis molestias condiat. Sin verò non tantum tibi animi
est, vt ad has aggrediaris alacriter, nondum sanè tantum tibi virium suppetit, vt
ad eximiam & præcellentem illam Christi Domini nostri in amplectenda cruce
imitationem accingi queas. Longius adhuc, inter imbellem lixarum & calo-
num turbam, præclara pugnae spectator ocioius elanguescis: vel hoc igitur au-
dendum, vel apertè verissimeque confitendum, à te cogitatum omnem de tanta

8.

perfectiōne consequenda esse depositum. Sed quoniam à viro Religioso deponi non debet, id à se impetrare quisque nitatur, vt quoadusque moderatè poterit, insuauia, difficilia, contempta, inhonora, & appetitui ingrata sectetur, donec vsu & frequentatione plurima, rerum earum horrorem & fugam in amorem & appetentiam verterit. Hoc illa sui maior abnegatio, hoc in rebus omnibus continua mortificatio consequetur: ingens quidem ausum, sed ad ingenia & aeterna perducens. Maiorem verò dicit abnegationem, vt in ea nullo termino sistatur, neque vniquam factum satis putemus, sed maiorem & maiorem sectemur. Continua verò mortificatio est, non quidem quæ cogitatione, & sollicitudine de industria perpetuetur, sed quæ constanti & inabrupto propositi vigore virgeatur, præsentis & vigili animo in occasionem oblatam incubans, nec eam è manibus elabi sinens, seu maior illa, seu minor, seu rarior, seu crebrior occurrat, vt extremo c. 2. dictum est.

9. Denique illud postremò, at non in postremis reponendum, vt in ea virtutis acquirendæ palæstra, se à Superioribus exerceri vnulquisque optet, eumque sedulo Superiores exerceant. Quod si obseruaretur accuratè, miros & magnos in virtute prouentus videremus: nunc autem, quod iam aliàs deplorauimus, non est qui sic alios exerceat, quia non est qui sic exerceri serio velit, blandius nobis imperari volumus, nostri rationem haberi, molliùs compelliari, amari, honorari, defendi: Superiorum facta & iussa discutimus, in sinistram partem interpretamur, alienis eos impulsibus agi credimus, vindictæ cupiditate, suspitione, simultate, odio, nimium delatoribus credulos putamus; peritque omnis illa sancta & Religiosa simplicitas, quæ id omne quod à Superiore proficiscitur, quasi calitùs ad salutem nostram prouisum, sine cunctatione complectitur. Et sanè, cum propterea maximè, liberiore vitæ nuncium remisimus, vt quod soli non poteramus, alienæ saltem opis auxilio, prauas nostras, nimiumque inolitatas procliuitates corrigere, omnibusque perturbationibus deuictis, tranquillatam mentem ad exce. Isadiuinaque traducere possemus; huius autem tantæ rei perficiendæ duces & commonstratores eos, qui vicariam Dei potestatem representant, prudentissimè nobis elegerimus; quæ nos vsque eò dementat proteruitas, vt derepentè ab omni nos eorum ductu subducamus, diffidamus, & procaciter in contraria ruamus: Nitimur in veritù, dicit quidam, & verè nimis! Sed ô miserum naturæ suffugium, & causæ suæ certa damnatio! quàm apertè hoc ipsum est, spiritu incipere, carne consummari! Igitur si nobis probè consultum volumus, Superioribus tradamus nos oportet sursum deorsumque per quæcumque versandos, à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam; vt seductores & veraces, exhibentes nos sicut Dei seruos in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in laboribus, in contumelijs & opprobrijs, scientes eum nos Dominum sequi qui probatus est per omnia, sibi que in suam gloriam aditum cruce parauit. Ad huius

nos

1. Cor. 6.

nos similitudinem prouehi, idque per Superiores, duris probationibus, variisque tentamentis debemus. Quod si hic indignamur, excandescimus, atque hoc aduersus eos, quos parentum amantissimorum loco habere, nobisque optimè consulere credendum est, eritne de nostra patientia vel in virtutibus progressionem, meliora sperandi relictus locus? Ergo statutum omnino sit, ut quidquid ab illis obtigerit, gratissimum nobis accidat, quo fiat ut nostra voluntate perspecta vicissim Superiores, nobis, ad res quascumque, quam liberrimè vtantur, noxia, vtiliue quæcumque, admoueant remoueantue, & certum habeant, id omne quod nobis in perfectionis acquisitione defuturum est, diuino in iudicio seuerè ab illis exigendum, quod quanto formidabilius est, tanto videant accuratius ut se in animorum commissa cultura fideles & industrios præbeant. Hac autem Superiorum cum inferioribus, in vnum eundemque finem, tam sancta prouidaque conspiratione bene firmata, eximios in absolutæ virtutis progressionem profectus existere necesse est.

Atque hæc sunt quæ ad ardentem crucis amorem, in mente nostra conciliandum firmandumque; maximè conducere Beatus sensit Ignatius; suntque; singula solitariè suis pensanda momentis, & perfectè simul omnia mente cõplectenda; ad eò ut per se singula cõmendatissima quidem sint, & obseruentur accurate, at eomodo, ut cõmuni tamen comprehensione, horum omnium generalè quandam formam, & quasi perfectæ mundi contemtionis, mirabilisque; humilitatis ad spectabilem oculis mentis ideam nobis propositam habeamus, perpetuoque; contēdamus, ut ad tantæ perfectionis adeptionem, quantum diuinæ gratiæ fauor adspiratit, peruenire possimus: id spectet negotiū nostrum, id otium, id actiones, cogitationes, preces, ieiunia, contentio omnis, omne desiderium & amor, si qua, tam pretiosum, præcellentissimæ virtutis thesaurum, repertum effodere, peculioque nostro, stabili iure adiungere, felici sorte valeamus. Hæc sit nostrorum summa votorum, hoc die nocteque suspiremus, hanc præ ceteris omnibus gratiam à diuina Maiestate flagitemus.

Contrahamus igitur in pauca id mentis propositum quod adhuc latius euoluimus, ut quò nitendum sit, clariùs distinctiusque; noscarur. Sic igitur illud meæ menti obijciam, quasi eiusmodi decretum ipse mihi firmissimè statuã. En, quæcumque; mundi sunt, eiusque; rationes sapiunt, fugiã, vitabo, execrabor, contraria omnia sectabor: Iesum Dominū Deum meum, veram vitalem viam, quo poterò propiùs affectabor, ipsius affectus induã, opera imitabor, humillimoque; me abiectionissimū rependam: ignauiam & tarditatē meam stimulabo contētiùs: illata patienter ferã; agnoscentisque; quantus in iniurijs thesaurus bonorū lateret, illis qui me impugnarint, quasi beneficio obstrictus, beneuolentior ero: utque; non assuescam tantū, sed & duris gaudeam, nullusque; me casus deprehendat imparatū, mei ipsius maiorem abnegationem, & continuam in rebus omnibus mortificationem, vltro & instanter vsurpabo. Superiorū etiam meorum opem sincerè & propēsiùs

im-

implorabo, vt quavis occasione data, imò quæsitã subtiliùs, in mei me contem-
tione, omniumq̃ue affectuum expugnatione exercent, vt viribus animisq̃ue
coniunctis, præclarum aliquando, de superbissimæ naturæ tumore compresso,
trophæum, communi vtrorumque gaudio erigamus.

Isto sic nobis proposito scopo, & præ oculis defixo, restat vt ne ociosi torpea-
mus, sed eius excelitate sapiùs menti obiecta, cupiditatem, & sancta desideria
crebriùs & acriùs incitemus, opportunitatem eorum pro modulo nostro exer-
cendorum à Deo postulemus, oblatamq̃ue arripiamus auidè; nec cessemus,
quin modò hæc, modò ista, naturæ nostræ minùs grata subeamus, sæpè & quasi
familiariter ad Domini nostri crucem conuolemus, in eaq̃ue, quantum dabitur,
quodammodo habitemus: quippe in his duobus, mortificatione scilicet sui
exercenda, & Iesu Christi cruce reuoluenda, quàm maximam, & eam efficacis-
simam vim repositam credo, qua tertium illum summumq̃ue humilitatis gra-
dum, comparare, conseruare, adaugere nos oportet.

At verò perspicuum satis est, virum illum qui in isto se gradu firmauerit, iam
esse extra omnem propemodum aleam constitutum, omniq̃ue rerum huma-
narum mutabilitate celsiorem, solis diuinæ sapientiæ decretis, quouis in
euentu quietum adhærescere, aduersis non frangi, non diffluere secundis,
vt de eius in sancto proposito perseverantia nequaquam dubitari posse vi-
deatur.

LIBER QVARTVS,

Quatuor potissima humilitatis exercitamenta
complectens.

Quæ proximè diximus eò spectarunt, vt quam suo in vitæ instituto humili-
tatis formam exigeret, & à quo fonte peteret, quibus riuilis eam B. Igna-
tius deriuaret, videremus; eius autem ad perseuerandum necessitatem, initio
docuimus. Iam superest vt communiora quædam, alijsque omnibus institutis
necessaria proferamus. Quod vt clariùs & præceptionibus ad vsum magis op-
portunis fiat, quatuor hîc ponam sui aspernandi exercitamenta, vim singu-
lorum indicaturus, & quantum ad perseuerantiam valeant.

Primum est, præ Deo & coram diuinæ maiestatis oculis nihil sibi tribuere: Se-
cundum, nemini se præferre, postponere potiùs: Tertium, se in omnibus accu-
sare: Quartum, actiones viles & abiectas libenter frequentare.

CAPVT I.

*De primo humilitatis exercitamento, quod est, se ipsum
aspernari. & quid illud sit?*

Hoc primum humilitatis exercitium, præ ijs omnibus quæ ad per-
seuerantiam vel commendari, vel exigì possunt, non tantùm vti-
le, sed planè necessarium, ex ijs quæ dicentur videbimus, &
quidem eiusmodi, vt naturæ ratione præditæ necessarium, & à sui
ortu primo congenitum fuerit.

Nec enim hîc exquisitiùs aliquid aut elaboratiùs, quàm ipsam nudam rei
veritatem, nostrique in conspectu Dei, hoc est tenebrarum ad primam lucem
comparatarum, cognitionem & confessionem requiro. Quia profectò fiet, vt
cùm ea omnia, quæ propriè nostra, & à nobis, non autem Dei, & à Deo sunt,
seposuerimus, reperiamus id omne quod est bonum, sanctum, perfectum, Deo
esse tribuendum; nobis verò id vnum superesse quod malum, vitiosum, pra-
uum, distortum fuerit: estque id promiscuè, in rebus planè omnibus, ad eò ve-
rum, vt nihil sit quantumcumque exile, nullæ rei vllius pars, consilium, susce-
ptio, progressio, sustentatio vel exitus, vbi sibi propriæ laudis portionem ali-
quam suam vindicare possit quisquam, nisi merè purèque referendo in Deum,

Y

sine